

1978

L

1637  
(25)









ΚΑΤΑΡΑ ΜΕΘΗΣ

*Hoc est*

ORATIO

*De*

VITANDA EBRIE-  
TATE FOEDISSIMO ILLO CORPO-

RIS ET ANIMI VITIO; IN QVA LUCULENTER  
& prolixè ex multis autoribus foeditas hujus vitij, causæ & effectus seu  
morbi tam animæ quam corporis ex eo dimanantes plurimis addu-  
ctis exemplis ita describuntur, ut, qui hanc leget, vitium  
illud cane peius & angue non odille  
non possit.

*Conscripta est diversis horis 29. Novem. & 13. die  
Decembris in Scholâ V Vernigerodanâ in con-  
sessu multorum Præstantissimorum  
Virorum,*

*habita*

*M. JOANNE FORTUMANO,  
Scholæ ejusdem Correctore.*



WITEBERGAE

Typis M. Georgij Mulleri,  
ANNO M. D. CII.



EPIGRAMMA  
Ad Lectorem Orationis,  
DE EBRIETATE.

Quem non detineat FORTMANI oratio, nuper  
Audijt è cathedrâ quam sacer ordo scholæ.  
Vivam illam gravitate suâ, seu pondera rerum  
Spectes, verborum seu meditère decus:  
Hunc dicas asinoq; parem muloq; propinquum,  
Nec, quicquam sanæ mentis habere, putes.  
Te docet, Ebrietas quid sit, quàm spurca voluptas,  
Illius & quam sit fœda propago probat:  
Quàm felix scelerum genetrix, quàm prodiga rerum,  
Quàm morborum, omnis quamq; ministra mali.  
Addisce hoc: vitiumq; adeo dedisce suillum,  
Corporis atq; animæ si tibi grata salus.

Paulus Vekenstadius, Verbi  
divini administer VVer  
nigerodæ.



Kapsel 78 L 46 37 [25]

AV

CLARISSIMIS, AMPLISSI-  
MIS, SAPIENTIA, ERUDITIONE AC  
virtute excellentissimis Viris, Consulibus ac Senato-  
ribus Inclytæ Reipublicæ Halberstadianæ,

*Item:*

REVERENDO, CLARISSIMO ET DO-  
CTISSIMO VIRO Dn. M. DANIELI, SAXONI,  
Pastori apud Halberstadenfes Primario & Theologo  
acutissimo:

*Dominis & fautoribus meis omni animi observan-  
tiâ colendis: &c.*



*GITURIAM ANNUS UNDECI-  
mus, Reverendi, Clarissimi Consultissi-  
miq; Viri, Fautores summâ observantiâ  
colendi, cum primùm in schola vestra sa-  
crarium à tutoribus meis missus, & in  
numerum discipulorum receptus fui. In quâ schola to-  
tum triennium versatus, trivialium artium, ut vocât  
fundamenta ex diligentissimâ institutione ita jeci, ut me  
temporis istius impensi hætenus nunquam penituerit:  
& hoc primùm sub tuâ ferulâ Doctissime Dn. M. Vir  
Reverenda dignitatis: postmodû sub Reçtore M. Chri-*

*A 2*

*stophoro*

Stophoro Harsemiopia memoria, cujus recordatio cre-  
bris gemitibus apud me comitata nunquam desinet.

Cum igitur teste Aristotele τοῖς φιλοσοφίας κοινωήσασσι  
τιμὴ ἰσοῦροπ<sup>α</sup> οὐκ ἀνυγενοίτο, ἀλλ' ἰσως ἱκανοί, ὡς περὶ πρὸς τὰς θεοὺς καὶ  
πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον, hoc est, praeceptoribus, qui veram  
sapientiam nobis impertiunt, non potest par honor et  
pretium à nobis referri, sed fortassis, ut erga Deum et  
erga parentes, satis est referre gratiam, quantum quisque  
potest: merito quoque mihi incumbit, ut hujus praestanti-  
ssimi philosophi praecepto obsecutus, ijs, quorum labore, fi-  
de, ac liberalitate veritatem ac rectam doctrinam cum  
virtute accepi, debitam benevolentiam gratæque mentis  
significationem reddam.

Videtis itaque Viri Clarissimi et Amplissimi, quan-  
tum vobis debeo, quorum liberalitate et munificentia  
juxta divinam gratiam schola ista optimè instructa  
conseruatur, ex qua ceu equo Trojano viri docti et ho-  
nesti, qui jam Ecclesiae et Reipublicae usui sunt, et ali-  
quando esse possunt, prodierunt, in qua schola et ego se-  
rè educatus sum.

Vides tu quoque Reverende Dn. M. quomodo tibi  
devinctus sum, et hoc eò magis, quod me non tantum  
publicè in consortio reliquorum summà fidelitate, hu-  
manitate et conjunctà gravitate erudiisti, verum etiam  
priva-

privatim plurimis salutaribus admonitionibus informasti & imbuiſti. Quoties mihi prae reliquis diligentiae calcari addidisti. Nescio enim qualem tu & M. Harsemius pie memoriae spem de me conceperatis, cui quod hactenus non satisfecerim, non strenua voluntati, sed viribus negatis imputandum erit.

Ex ista igitur ingratitude culpa me exolvere, saepissime occasionem quasi vi quidem, sed aptam hucusque reperire nequij: ne tamen vestra ista in me quam plurima collata beneficia prorsus longo temporis spatio oblitterata viderentur, hanc qualem qualem arripiendam esse putavi. Orationem igitur praesentem de detestando Ebrietatis vitio, quam duabus horis & diverso quidem tempore in schola nostra sacrario in praesentia multorum praestantissimorum virorum habui, & a quam plurimis, quibus hoc denegare par non erat, rogatus, typis submittere volui, vobis Viri Clarissimi & Reverendi, dedico consecroque, ut tandem aliquod licet exiguum tamen publicum meae gratitudinis documentum apud vos & monumentum apud alios extet. Nihil autem curo φλυαρίας & cavillationes illorum, qui obijciunt, quomodo hujus oratiunculae dedicatio ad vos deveniat, cum non in vestra sed V Vernigerodana schola sacrario sit habita; itaque ijs consecrandam fuisse, qui nostra schola curam &

A 3

tutelam

tutelam agunt. Sit sanè, sed quid jam antea hac in par-  
te erga nostra Scholæ tutores à me factitatum sit, oratio-  
nes istæ, quas precedentibus annis de nativitate Iesu  
Christi, & Scholarum origine habui, testatum facient,  
& meum honorem saluum tectumq; contra malevo-  
lentiæ morsus tutabuntur.

Accipite igitur humaniter, vobisq; acceptum esse pa-  
timini hoc quicquid est, & quantumcunq; est, quod  
vobis consecratum volui. Et si honestè de me & instituto  
meo sentietis, meritò hoc fit, cum ego vos omnes & singu-  
los summà reverentià colo & observo. Hisce Viri Cla-  
rissimi & Reverendi feliciter valete. & c. Dabatur  
ex meo Museo Calendis Ianuarij, Anno  
post natum Christum 1602.

Vestræ Excell:

& Reverent:

Studiosissimus

M. Iohannes Fortumanus,  
Scholæ VVernigerodanz  
Conrector,

AD

# AD LECTOREM.

**N**on omnia, Candidissime Lector, quæ in hac Oratione insunt, in meo cerebro nata esse judicabis. Methodus & dispositio mea est; Reliqua non omnia, nec planè nulla. Alijs plus tribuo, quam mihi metipsi. Lege orationem Viti VVinshemij & Iohannem Ludovicum Vivem & videbis. Ne tamen te lateant autores, ex quibus exempla & alia nonnulla adduxi, subscribendos eos esse putavi: Vale.

	<b>A.</b>		
Aulus Gellius.		Isidorus.	
Ælianus.		Ioachimus Camerarius.	
Athenæus.		<b>L.</b>	
Ambrosius.		Lucianus.	Lucretius.
Augustinus.		<b>M.</b>	
Anacharsis.		Macrobius.	Menander.
Aventinus.		<b>O.</b>	
	<b>B.</b>	Ovidius.	
Budæus.		<b>P.</b>	
Bernhardus.		Plinius.	
	<b>C.</b>	Philippus Melanthon.	
Christophorus Hegendorphinus.		Plato.	
Chrysofomus.		Pythagoras.	
Cuspinianus.		Palingenius.	
Claudianus.		Plutarchus.	
Cato.		<b>R.</b>	
Casparus Peticerus.		Rodolphus Agricola.	
	<b>E.</b>	Ravifius.	
Epiphanius.		<b>S.</b>	
Erasmus Roterodamus.		Stephanus Szegedinus.	
Eobanus Hessus.		Seneca.	
	<b>H.</b>	Suetonius.	
Horatius.		<b>T.</b>	
Hieronymus.		Theodorus.	
	<b>I.</b>	<b>V.</b>	
Isocrates.		Vitus VVinshemius.	
Iohannes Ludovicus Vives.		<b>Z.</b>	
		Zwingerus.	

AD

AD M. IOAN. FORTUMANUM.

**T**U NE etiã intentas, FORTMANE, bibonibus arma,  
Et pro deposita sobrietate facis?

Nonne vides, qui sis? cupis esse Poëta. Quid ergo  
Vvirda Potorum prælia sollicitas?

Creditur Ebrietas hodie propè tessera Vatum,  
Et fama è potùs eluvione peti.

Suspectum est, quodcumq, novas: Et inane per aureis  
Verborum tonitru tympana tenta tonant.

Vinci posse Getas Et quæ fortissima, credam.  
Ebrietas nullo vincitur imperio.

Ebria si Jovis est stola, ne mihi Iuppiter esto.

Hinc, quanti Ebrietas sit mihi, nosse potes.

DI faciant, ut, qui famam sibi querit ob haustus,  
Sentiât aternam lurco Poëta sitim.

Frid. Taubmanus: P. & Professor  
Witebergens.

ALIUD AD EUNDEM.

**T**U vitare doces undantia munera Bacchi,  
Queis jam bibax abutitur consortium.

Verum, ni subidam fallunt præsagia mentem,  
Tibi suum vix unus addet calculum.

Si contemniuntur summi præcepta Magistri,  
Quid cum tuis, quæso, futurum censeas?

Matth. Gothus Secundus,  
Stolberg.

ORATIO

60  
O R A T I O  
D E V I T A N D A E B R I  
E T A T E.

**I**nstitutos esse hos congressus Scholasticos, Reverendi, Clarissimi, Præstantissimi, Doctissimiq; Viri, Præceptores, Promotores, Collegæ singulari observantiâ colendi; tuq; studiosa juvenus: Institutos esse hos congressus scholasticos inquam, non ut spectacula olim Circensia, quorum Gellius lib. 3. cap. 10. meminit, aut ut ludos Theatrorum, voluptatis & corporis tantum exercendi causâ: sed ut Epiphanius de ritibus Ecclesiæ ait: διὰ τὴν πολιτείαν καὶ τὴν εὐκρατείαν, hoc est, propter bonum ordinem & disciplinam, atque doctrinæ honestæ propagationem, quâ Ecclesiæ & vitæ hominum opus est, indubitati est juris. Cum enim in illis corpus exercendum, & tum in robore, tum in agilitate confirmandum esset: merito quoque ejusmodi susceperunt ludos & labores, quibus ista acquirerentur: In hisce autem locis scholasticis non corpus, sed mens bonis artibus, honestis disciplinis & urbanis moribus instituenda venit: Hocrates enim inquit: τὰ σώματα τοῖς συμμέτροις νόμοις, ἡ δὲ ψυχὴ τοῖς σπουδαίοις λόγοις αὐξῆσθαι πέφυκε: hoc est. Ut moderatis laboribus corpora, sic *honestâ doctrinâ mentes augeri solent.*

Quare cum & hoc tempore corona hæc amplissima convenerit, atq; in tali loco, ubi sunt ludi non equestres non curules, sed literarij & Musarum: Merito quoq; observandus fuit mos ille. Prolixa autem excusatione non utar, cur præ alijs à me observatus sit, & cur ego hac vice cathedram hanc perorandi causâ conscenderim. Nemini enim non nota est institutio & ordinatio Amplissimi nostri Senatus & Reverendi Ministerij, quâ voluerunt, licitum imò injunctum esse unicuiq; collegarū singulis quadrantibus anni, vel ad summū singulis annis orationē habere, quâ studiosa juvenus vel in arte aliquâ erudiretur, vel ad virtutem quandam alliceretur, vel deniq; è contra à vitijs absterretur. Hanc licentiam etiam mihi metipsi exercendam hæcenus putavi, & jam tertium exercendam puto. Nihil novi igitur, nihil inauditi me incipere neque vos à me requirere j. m. spero.

B

Quærenti

Quærenti autem mihi huic loco & tempori argumentum accommodatum, fateor deliberationem istam fuisse perdifficilem. Vetera enim sæpè repetita gratiam non habent, & Crambe bis recocta, agunt, mors est: Nova autem gignere mearum virium non esse, meo me pede metiens & agnosco & liberè profiteor.

Verum enimverò postquam omnes virtutes, quæ præcipuè in scholasticis requiri solent, & contraria vitia, quæ in iisdem culpan- tur & puniuntur, mecum perpendi: nullum nocentius & pernicio- sius vitiū unquam reperire potui, quàm perniciosissimã rei literariæ pestem, & multorum vitiorum matrem & procreatricem, quæ E- BRIETAS dicitur.

Quanquam autem sit opinione exitiosius & perniciosius, adeò ta- men vulgare est, adeò cepit juventutis animos, ut nullis neq; legibus eorum, qui scholasticis præsumt, neq; doctorum hominum sermonibus & reprehensionibus corrigi possit. Quot enim in nostris constitutis scholasticis de hac re prohibitivæ leges sunt? Quàm multi graves viri hac de re quotidie quærentur? Sed tanta mali vis est, & tam altas ra- dices egit, ut de repressione & sanatione hujus merito omnes pij de- sperent. Quanquam igitur hæc pestis, hoc vitiū usq; adeò receptum sit, ut non mea tanquam juvenis oratione, in qua parum autoritatis esse potest, non aliquã licet facundissimè eloquentiã tolli possit, colli- bitum tamen est in argumento honesto ingenij vires experiri.

Maximè hoc faciens, cum me non primum & Coryphæum de hoc vitio differentem sciam, quoniam antea præclari viri in eodem stadio, licet apud malè feriatos non responderit optatus scopus, quod & mihi ominor, decurrerunt. Sic Iohannes Ludovicus Vives totum dialogum de Ebrietate conscripsit. Sic summã cum utilitate legitur Encomion, quo Christophorus Hegendorphinus Ebrietatem ornavit: Sic Plinius miraculum illud eruditionis totum caput de hac peste li- bris suis inseruit: Ut interim taceam, quid Theodorus Zwingerus in suo Theatro, opere sanè, quod vix ab homine confectum esse credi- tur, de hoc vitio annotaverit.

Qui igitur objecturi mihi sunt hoc argumentum, tanquam minus dignum & conveniens huic tempori & loco, sciant istæ Sycophantæ, se linguæ suæ virus, non tantum in me unum expuere, sed etiam do- ctissimos prædictos viros eodem à se carbone notari.

Expectanda autem vobis erunt, in hac dissertatiuncula hæc tria:

m. 1. f. 41.

b. 14.

p. 22.

tria: Primò quale vitium per se sit Ebrietas, quomodo à viris doctis hinc inde suis coloribus & formis depingatur. Deinde causæ, quarum impulsu hoc vitium primò in hominem irreat, & quotidie magis magisq; augeatur. Ultimò cum sit fecundissima mater multorum aliorum vitiorum, effectus & fructus, quos procreat auditis. Hæc autem dum exequor, à vobis omnibus, qui tum honoris nostri gratiâ, tum deplorandæ erga hanc scholam nostrâ propensæ voluntatis ac benevolentiae causâ, adestis, quâ debeo reverentiâ obnixè rogo, sum meq; contendo, ut quâ facilitate mihi antea ex hoc loco dicenti benignas præbuisstis aures, eâdem hac quoq; vice & horâ necessitate & officio ad dicendi munus impulsus audire ne dedignemini.

Principiò autem, si hæc oratio, quàm de vitandâ Ebrietate, servandaq; temperantia & sobrietate institui, mihi alicubi in cætu vulgi ac heluonum, de nulla re magis, quàm ventre sollicitorum, habenda sit, nihil magis vererer, quàm quod ad primam statim ebrietatis mentionem me risu clamoribus, & pedibus manibusq; exploderent, quin imò indignantes statim ex medio proturbarent. Tantus enim furor est heluonum, ut ipsis nihil acerbius, nihil iniquius accidere possit, quam si consuetudinem eorum, quâ incaluerunt, vitium & turpitudinem vocemus, à qua eos revocare & abstergere instituamus. Hic tandem immitius sæviunt quàm læna, cui abrepti sunt catuli. Tam perversa est natura in aliquibus hominibus.

Iam autem in confesso omnium est, Ebrietatem inter virtutes numerari non posse; Vitium autem esse nolunt, quod tamè reverâ est. Hinc enim non tantum Deus ipse in sacris literis sanctè & severè inculcat esse vitium coram suis oculis maximè abominabile, & se hujus vitij sectatores non tantum eò citius ex hac vitâ abrepturum, sed etiam vitâ cælesti privaturum esse minatur: Verum etiam multi saniores Ethnici vehementer hoc vitium execrati & detestati fuerunt, fideliterq; damna & incommoda, quæ inde proveniunt, enumerarunt.

Quale autem vitium & quàm nocentissima pestis sit, pro rei magnitudine, licet duplici Ciceronis eloquentiæ copiâ præditus, satis effari nemo potest. Et reverâ locum hîc habet Platonis illud, quod de virtute dixit: Incredibilem eam amorem sui in animis hominum excitaturam, si oculis externis perspici posset. Ita quoq; Ebrietas, si turpitude & fæditas eius, quanta quanta est, à nobis cerneretur, gravissimum odium sui apud omnes homines paritura esset. Verum oculi

*Propositio*

*rotius orationis.*

*1. Descriptio.*

*2. Causæ.*

*3. Effectus.*

*Conclusio.*

*Ex Vita Winsheimio.*

*Ebrietas est vitium.*

*A Iudicio Dei.*

*A Iudicio Ethnicorum.*

*Quale vitium sit.*

nostri ut in alijs quoque rebus malis ita etiam hic rem tam fœdam  
consuetudine quadam, qua nihil nocentius est in rebus malis, pro-  
*Ebrius est* pè jam ferre didicerunt. Nemo enim est, qui non torus, totus inquam  
*monstrum.* quantus est, & animo & corpore cohorresceret, ac veluti abomino-  
sum & infantum aliquod monstrum fugeret, quoties in Ebrij alicujus  
hominis conspectum incidisset, si non oculi & mentes nostræ velut  
morbo quodam hebetatæ cæcutirent, & ad sensum tantæ fœditatis  
consuetudine ipsâ jam occaluisent. Nullum enim monstrum, nullum  
portentum, nullum prodigium fœdus & aspectu abominabilius &  
horribilius unquam excogitari potest, quàm homo Ebrius.

*Peucerus* Si quid in naturâ rerum à consueto cursu, à consuetâ lege &  
*in divina* ordine deerratum nostris oculis obijcitur, veluti cum ex equâ lepo-  
*sione.* rem, ut in castris Xerxis regis Persarum accidisse legimus, aut ex vac-  
ca catulum ursinum, qualem ipsemet vidi, ex sue canem, vel vitulos  
bicipites, & ore gemino, vitulino, & humano, qualis Friburgi in  
Misiâ ante paucos annos visus est, vel alia monstra videmus,  
cohorrescimus, clamamus & vociferamus abolendum esse ex rerum  
naturâ igni, aquâ & ferro. Longè fœdus autem longè horribilius  
monstrum est homo Ebrius. Illa monstra interdum in sua specie ma-  
nent. Homo autem immani illâ heluandi & perpotandi consuetu-  
dine excellentissimam illam creaturam, à Deo ad imaginem sui, ad  
gloriam, ad immortalitatem, ad virtutem, ad temperantiam & sobrie-  
tatem ab initio creatam & conditam, ita in feram bestiam transfor-  
mat, ut præter externa oris lineamenta humani quicquam in ipso  
parum perspicias. Quò respexisse videtur Origenes dum scripsit: *E-*  
*brietas facit de homine bestiam.*

Cum igitur homo Ebrius tam horrendum & detestabile mon-  
strum sit, optinè fecerunt Lacedæmonij, qui servos ebrios liberis su-  
is offerebant, ut hi aspectâ in temulentis fœditate oris, absurditate  
dictorum factorumq; ab ebrietate abhorrent, ut scribit Ioannes  
Ludovicus Vives lib. 5. de tradendis disciplinis, mihi fol. 513.

*Ex Dialo-* Si enim non tantum externis, sed etiam internis pectoris ocu-  
*go Ioannis* lis ebriorum mores aspexerimus, in ijs nihil humanæ mentis, nihil  
*Ludovici* rationis superesse videbimus, adeò planè apud ipsos epota mens est.  
*Vivis.* Videmus enim quomodo in Convivijs ut planè mente capti & in fu-  
rorem versi non tantum guttur & fauces lavent, sed etiam sæpè vino  
& lactè, dum alii in aliorum pateras & pocula immittunt, manus:  
Digitos

Digitos pingui carniū & Embammatis inviscant, aded ut ab hominē  
sobrio & temperante absq; nauleā res tam obscœna vix audiri, nedum  
videri aut de ejusmodi vino & cibis gustari possit; & multos putarim  
inveniri homines temperantes, qui, si hæc coram viderent, quic-  
quid in ventriculo haberent, cum ipsis vitalibus evomere cogeren-  
tur. Sed de horum convivijis paulò post dicemus.

Duplex autem solet constitui Ebrietas. Altera fortuita, cum  
nimio potu a mente quis alienatus sit, id quod plerisq; hominibus a-  
liquando contingit.

Hæc sanè obriuntur etiam isti, qui nihil magis odio habent, &  
aversantur. Excusationem igitur ea interdum meretur, licet non sit  
absque omni culpâ. Multa enim per hanc etiam Ebrietatem perpe-  
trantur, à quibus homo sobrius sibi undiquaq; caveret.

Altera est **HABITVALIS**, cum subinde quis sit ebrius, **Habitualis**  
quam eruditi **EBRIOSITATE** nuncuparunt, ob majorem **que voca-**  
vehementiam, copiam & affectionem; & qui semel huic nomina sua **tur Ebrio-**  
dederunt ebriosos vocant, quod eos consuetudine quâdam semper & **fitas.**  
aurora & hesperus ebrios offendat: Vel ut Erasmus inquit: Qui nec **Ebriosi**  
orientem solem vident nec occidentem. Sub occasum enim solis ebrj **qui sint.**  
sunt, & dormiunt postea usque ad meridiem.

Licet autem isti interdum crapulam edormiverint, tanto pe-  
re tamen dediti sunt luxuriæ & gulæ turpi, ut manè surgentes sem-  
per huic & similibus vocibus utantur: Heus famule sume hanc phia-  
lam, & ex eodem vino affer, quo heri inebriati fuimus. Nulla quip-  
pe certior est huic veneno Theriaca. Ad sanandam inquit, morsum  
canis nocturni, sume manè ex pilis ejusdem. Quam scitè allegare no-  
runt versiculos antiquos:

*Si nocturna tibi noceat potatio vini,*

*Hoc tu manè bibis iterū & fuerit medicina. Quod aliàs ita redditur:*

*Si tibi serotini noceat potatio vini,*

*Hora matutina rebibas & erit medicina. Et sic de die in diē vivunt.*

Ex tali ordine Ebriosorum fuit Dionysius Minor, qui usque ad  
nonagesimum diem ebrius perseverasse à Plutarcho in Dione scrib-  
tur. Refert quoque Plinius lib. 10. cap. 54. Syracusis fuisse solitum,  
tàm diu potare, donec cooperta terrâ factum ederent ova. Theodo-  
rus Zwingerus in theatro suo recitat hanc historiam de strenuo po-  
tatore inquit: Basilius Iohannes Heroldus, cum ad Augustana ve-

*Szegedinus  
in suis lo-  
cis commu-  
nibus.*

*Ebrietas  
duplex.*

*Fortuita.*

*Habitualis  
que voca-  
tur Ebrio-  
fitas.*

*Ebriosi  
qui sint.*

*Ex dialogo  
Joan. Lu-  
dovici Vi-  
vis.*

*Exempla  
strenuorū  
potatorū.*

*Lib. 2. vo-  
lum. 9.*

nisset Comiticia, & in Cæsaris aulâ non tam Minervæ, quam Cereri  
Bachoq; militaret, Ephemerides sibi confecerat, in quas secundum  
dierum seriem omnia privata sua dicta factaq;, qui mos est Germanis  
frequens, referret. Inter cætera & quo die cum quibus principibus,  
comitibus, nobilibus, cænasset, quam benignè exceptus fuisset, (cra-  
pula autem & Ebrietate, ut pleriq; benignitatem hanc metiebatur)  
notis quibusdam plusquam Hieroglyphicis annotare consueverat. Et  
hæc quidem inter Comitiorum initia. Ast ubi paulatim innotescere,  
& jam omnibus certatim vocari cæpit, cum dies totos totasq; noctes  
per integrum mensem debacchatus esset, in Ephemeridum suarum  
album non dies singulos singulis scyphis (hæc enim nota erat illi æ-  
noglyphica) sed totum mensem uno magno scypho à capite ad basim  
usq; paginæ insignivit, cum hoc Epiphonemate.

*Nulla dies sine lineâ. Item:*

*Nocturno certare mero putere diurno*

*Vatibus ut liceat, quis vetet Historicis?*

*Conviviū  
ebrioso-  
rum ex  
Vive.*

Interim tamen juraret quis, non esse temperantiores homines  
sub sole; ita temperanter, ita sobriè cōvivia sua incipiunt. Primo quā-  
do conveniunt accumbunt severi & tristes, mensa sacratur, ubiq; si-  
lentium & quies: Incipiunt expedire cultellum quisque suum; In  
summâ speciem præbent non invitatorum sed invitatorum, aded ut  
hoc eos coactos facere quis diceret. Et revera faciūt segnitie quadam;  
quippe animus nondum incaluit, ardore illo libero: Quisque mantio-  
le suum aptat humeris, hic mappam extendit super gremium, alter  
sumit panem, aspicit, volvit, purgat, si quid inhæret carbonis aut ci-  
nerum decorticat. Et hæc omnia lentè, cunctabunde & segniter ex-  
pediunt. Primus scyphus est cerevisiæ, ut frigidum cementum ardo-  
ri vini substernatur. Tandem affertur diu multumq; expeditus hu-  
mor ille facer Dei Liberi, Vinum intellige, verum poculis angustis,  
& exiguis, quæ magis sitim irritarent, quam extinguerent.

Dicat aliquis, quomodo ejusmodi modesti & temperantes homi-  
nes luxuriæ & Ebrietates argui possint? Quomodo temperantius,  
honestius, & magis sobriè posset convivium etiam temperantissimo-  
rum hominum institui? Est sanè institui ita: quomodo autem finiatur  
attendite quæso.

Vbi paululum incaluerunt, & dormiens palatum excitatum est,  
jubent afferri pocula capacissima, & tunc largiter potare incipiunt,  
incipiunt

incipiunt tunc loqui, tunc hilaritas & risus diffusissimus: Tunc alij alijs præbibunt, & quibus præbibunt, magna æquitate paria facere cogunt: Creberrima inter eos vox est: ἴσος ἴσῳ. Nefas ibi est sodalem defraudare; Et dum potant, omne vinum si cuiquam ingurgitare & infundere possint, non detrectant; imò darent ipsis præcordia, si factu possibile foret, quorum vitam tamen digressi invicem nummo sestertio etiam in summo discrimine sibi redemptam nollent.

Primò allata erant pocula vitrea, paulò post ob periculù ne frangantur, apponuntur lignea, fictilia, aut etiam argentea, neq; purum vinum bibunt, sed poculis herbas salutare inijciunt; si anni tempus ita fert; paulò post incalescentes jus carniùm, lac, butyrum, cremorem infundunt: O spurcitiem ne beluis quidem tolerabilem: Ibi in aliorum pocula sordibus & pinguedine commaculatas manus immittunt, ovorum, pomorum & nucum putamina, olivarum & prunorum ossa inijciunt: Ibi butyrum & alia tenacia pavimentis hypocaustorum inijciunt. Initio fuerunt contenti dimidiatis poculis seu vitris evacuandis, jam tota vix sufficiunt, eaq; non duobus, vel tribus haustibus, sed uno haustu & admodum celerrimò evacuare sese macerant. De quo Plinius lib. 14, cap. 22. ita scribit: Iam verò alios lectum expectare non posse, imò verò nec tunicam, nudos ibi protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plenè infundere, ut statim evomant, rursusq; hauriant, idq; iterum tertiumq; tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus. Immittunt quoque in pocula & vitra pecuniam, interdum & annulos aureos, & alia tanquam præmia evacuati usq; ad fundum vitri: id quod etiam usitatum fuit jam tum tempore Plinij, de quo eodem in loco inquit: Primò etiam invitatur Ebrietas. Alius quantum aleâ quæsierit, tantum bibit.

Hoc sanè vitio laboravit Vir & poëta præstantissimus Eobanus Hessus (piæ memoriæ) ut de eo scribit Ioachimus Camerarius in vitâ ipsius: Putavit, inquit, se etiam inter poculorum certamina, quæ maximè tum in aulis certabantur, & à nobilitate frequentabantur, non vinci ab altero oportere. Ac est ille quidem hoc quoq; consecutus, ut de palmâ in isto genere cum Eobano contendere vellet nemo. Quoties sanè lego historiâ illam de Hesso, quàm ibi Camerarius in sequentibus de eo scribit, toties graviore dolore afficior, hoc etiam malum

corripuisse

*Historia  
de Eobano  
Hesso.*

corripuisse Eobanum tam præclarum virum, & communem cladem nostrorū hominum deploro: Historia autem hæc est: Aderat fortè Eobanus in Convivio. Eodē venit quoq; alter gloriosus quidā potor & iussit intrò ferri vas grande ligneum, quo apportari de puteis aqua solet, (nos situlam aut urnam, possumus, ut opinor, nominare,) cuius generis minimum capit ad congios duos. Id posuit in medio repletum Gedanensi cerevisiâ. Ac præfatus quædam, quæ comperisse se diceret, de strenuâ potatione Eobani, petijt, ut ebiberet illud vas, sibiq; propinaret. Hoc si fecisset, præmium se jam ei tribuere annulum cum gemmâ pretiosâ, quem detractum de digito in vas illud abiecit. Eobanus nihil cunctatus, neque multa locutus, non enim solebat, arripit vas, & non longo tempore assumpto evacuat bibendo, & cum everteret, sicut fert mos convivantium, decideretq; annulus in mensam, Applaudere illi omnes, & imprimis provocator, & annulum donare, ac incredibile se factum cognovisse dicere. Tum Eobanus torviore vultu, ut consueverat in commotione, eum intuitus, Quid tu, inquit, me mercede potare censes: Ac rejecto ad illum annulo, Tuum, inquit, annulum tibi habeto, & idem quod ego feci in vase isto evacuando, ut promisisti, facito. Tum ille ostentator inchoatam rem cum perficere non posset, ab omnibus derisus, & in convivio obrutus somno relictus fuit. Hæc Camerarius de Eobano.

Sed ut ad convivium Ebriosorum, unde digressus sum, redeam: Eò insanix & spurcitiei quidam deveniunt, ut pro poculis & vitris substituunt alia immunda vasa, non respuunt matulas, calceos, quod ipsemet summo cum dolore in ejusmodi bestijs, ut verè loquar, vidi. Tandem ubi ad ambas usque aures, vino sunt repleti, vino pavimenta natant. Si quis hospes est, gloriatur sibi dejectis sub mensâ invitatis suis. Et alij qui discedunt, nisi discedant omnes ita distenti, ut purum absit, quin rumpantur: nisi ita vino obruti, ut nihil sit in toto homine, quod officium suum possit facere, non sibi amicus, satis pro amicitia videtur amicum excepisse, id est, nisi beluam remittat, qui homo venerat, ut scribit Iohann. Ludovicus Vives tom. 2. f. 273. in lib. de sudore Christi. O præclaram victoriam, de re præclara ac prædicandâ. Hac laude claruit Cleio fæmina, quæ non solum cum fæminis, verum etiam cum viris potare ausa omnes superavit, ut refert Ælianus lib. 2. Variar. histor. & Athenæus lib. 10. cap. 9. Sic etiam Heraclides, non tantum pugil in arte athletica seu gladiatoria, sed etiam

*Exempla  
strenuo-  
rum potoro-  
rum.  
Cleio.  
Heraclides.*

de eo scribit Ravifius. Sic etiam Marcus Cicero filius cum parens  
 ejus fuerit abstinentissimus, binos congios haurire solitus est, teste  
 Plinio lib. 14. cap. 22. qui scribit de eo, quod hanc gloriam & pal-  
 mam interfectori & infensissimo hosti patris sui M. Antonio aufer-  
 re voluerit. Is enim ante eum avidissimè apprehenderat hanc pal-  
 mam, edito etiam volumine de suâ Ebrietate; quo patrocinari si-  
 bi ausus, approbavit planè, quanta per temulentiam mala terra-  
 rum orbi intulisset. Sed tamen hic M. Cicero rursus superatus  
 est à Novellio Torquato Mediolanensi, de quo Plinius ibidem  
 scribit: Hic ad proconsulatum usq; è præturâ honoribus gestis,  
 tribus congijs ( unde & cognomen illi fuit ) epotis uno impetu,  
 spectante miraculi gratiâ Tiberio principe in senectâ jam severo  
 atq; etiam aliâ lævo, sed ipsâ juventâ ad merum pronior fuerat.  
 Hic Torquatus tantam gloriam bibendo nactus, ut etiam leges  
 scripserit, contra fallacias bibendi: Inter quas & hæ recensentur  
 à Plinio: Non labare sermone, non levare vomitione, nec alia cor-  
 poris parte: optimâ fide non respirare in hauriendo: non expue-  
 re: nihil ad elidendum in pavementis sonum ex vino relinquere.  
 Hæc Plinius. Præternaturale quiddam est, quod Philippus ex  
 Budæo annotat, vini amphoram, id est, octo congios, seu duode-  
 quinquaginta sextarios in convivio ab uno homine haustos &c.

Ex hisce enumeratis facilè jam unumquemq; perspicere  
 credo, quale vitium sit ebrietas, quanta ἀσωτία sit in eâ, quàm  
 corrupti mores, quàm beluina vita. Hinc non immeritò Szegedi- *In locis*  
 nus ebrietatem definivit, quod sit appetitus bibendi ultra mensu- *communi-*  
 ram, ex quo provenit rationis privatio. Huic definitioni aptè *bus.*  
 respondet ea, quam posuit Pythagoras summus inter Ethnicos *Definitio-*  
 Philosophus, vocans eam μανίας μελέτην insaniam meditationem. *nes Ebrie-*  
 O descriptionem brevem, sed tam docto homine dignissimam! *tatis.*  
 Brevius enim & aptius vis, proprietates & efficacia Ebrietatis ex-  
 primi non posset, quàm si dicitur, quòd sit insaniam meditatio. Nul-  
 là enim aliâ de causâ Bacchum Thyonea vocatum esse apud Ho-  
 ratium Od. 17. lib. 1. quàm ob furorem, quo ministæ Bachi sacrifi-  
 cantes agitabantur. Θύω enim inter alia etiam significat furo. Quæ *Ebrietas*  
 enim est major insania, & quid esse aut cogitari potest, non jam *est insania.*  
 dicam humanitati, sed ipsi omninò naturæ magis adversum, quàm  
 suis membris, valetudini, vitæq; propriæ ultrò & nullâ de cau-  
 sâ vim afferre. Solent hoc facere nonnunquam lymphatici & fu-  
 riosi

riofissime capti, qui tamen ne id possint, vinculis coercerentur. Hi autem potatotes, qui mentis compotes & prudentissimi, si diis placet, haberi & videri volunt, longè majori furoris genere agitantur. Illi reverà insani, quando furoris impetus defæviit, sibiipsis non tantum nullam vim inferunt, sed etiam contra vim inferentes, sese acriter defendunt. Hi autem furore perpetuo agitati, in seipos sævire non desinunt, hostilem in modum sibi manus violentas inferentes, & immanibus istis poculis, ingentibusq; haustibus non aliter atq; castella & arces tormentis bellicis, sua corpora oppugnant: & non subsistunt priusquam victoriam obtinuerunt, corpusq; suum tanquam arcem seu castellum expugnaverunt, id quod fit, quando sibi infestissimos morbos, intolerabiles cruciatus atq; exitium ultrò volentes & videntes sibi accersiverunt, tunc ad sanio rem mentem & temperantiam redire volunt. Sed serò sapiunt Phryges.

*Et: Non juuat amisso claudere septa grege. &c.*

*Ebriofiores sunt bestijs.*

Et hac in parte longè peiores sunt bestijs & brutis, quæ aviditatibus naturalibus aguntur; hos tanquam homines nulla neque ratio ducit, neq; natura inde retrahit. Hinc & Isidorus Ebrietatem tali ornavit Encomio: quod fit, per quam menti quædam sui oblivio ex superfluum potuum indulgentiâ generatur. Quomodo Augustinus & Bernhardus eam depingant, cum effectibus suis in postremâ hujus orationis parte videbimus. Nunc ad causas hujus vitij procreatrices transfiliendum nobis erit &c.

*Obiectio Deum esse causam Ebrietatis.*

Dicitur, effectus non solet esse deterior suâ causâ. Cum igitur Ebrietas tanquam effectum per se sit vitium abominabile, lerna & sentina omnium malorum: causæ quoq; quibus procreatur, & quotidie magis magisq; crescit, haudquaquam meliores existere & appellari possunt &c. Cum autem Deus omnis boni fons origo & dator, vinum tanquam rem saluberrimam & humanæ vitæ utilissimam: Insuper frumentum, lupulum & alias res, ex quibus potus alij ut Cerevisia, Mulsum & similes conficiuntur, creaverit: non immeritò quis posset dicere, Deum esse causam Ebrietatis primariam: Si enim res istas non creasset, quibus homo inebriatur, nullam fore in rerum naturâ Ebrietatem. Hæ enim & similes voces ab impijs impuris & vesanis illis hominibus audiuntur: Vinum propterea nasci ut bibatur. Imò certè ut bibatur nascitur, & ideò à Deo creatum est, & modicè quidem ut bibatur,

batur, non autem ut de die in diem plenis faucibus potetur & ingurgitetur. Quemadmodum Ecclesiasticus cap. 31. v. 32. inquit: Vinum in iucunditatem creatum est, & non in Ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum. Sanitas animæ & corporis sobriè potus. Vinum multum potatum irritationem & iram & multas ruinas facit &c.

Abfit igitur ut Deus sit causa aliqua Ebrietatis, ut potius severissimo mandato eâ populo suo & omnibus Christianis interdixerit, & ad jejunium & sobrietatem revocaverit. Vt Esaiæ 5. v. 11. Væ qui confurgitis mane ad Ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad vesperam, ut vino æstuetis. Et ibidem v. 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam Ebrietatem. Et Propheta Habacuc cap. 2. v. 15. inquit: Væ qui potum das amico tuo, mittens fel suum & inebrians. Imò Christus ipse inquit: Luc. 21. v. 34. Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapulâ & Ebrietate. Et Eph. *Deus non* 5. v. 18. inquit Paulus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *est causa* Ex hisce & multis alijs dictis perspicuum evadit, Deum ab omni- *Ebrietatis.* bus hominibus severè exigere sobrietatem & temperantiam, atq; ebrietatem & luxum seriò prohibere & extremè odisse &c.

Sobrietas autem & Ebrietas, siquidem contrarij sunt habitus, Contrarias etiam habebunt causas. Illius ergò ut causa est *Satanas* Deus, ita hujus Satanus serpens ille antiquus, hostis omnis sobri- *est prima-* tatis, temperantiæ & virtutis, id quod clarè indicat Christus ubi *ria causa.* Matth. 17. v. 21. inquit: Hoc genus Dæmonum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.

Inde apparet, quod commessationibus ac heluationibus non intersunt angeli boni, puri & casti, qui tantum sobriorum cænas visitant, eorumq; curam gerunt, his ministerio & colloquio suo pio & grato inserviunt, ut vel historia Abrahamæ Gen. 18. testatur. Illis autem Ebrijs ac lurconibus Satanus conviva ac socius adest. Id quod eventus talium symposiorum plerunq; indicat, quæ rarò sine cæde alijsq; immanibus & horrendis flagitijs transiguntur. Hic est illorum pocillator, hic pocula miscet & ministrat, unaq; cum vino ac cerevisia sulphur atq; picem Phlegetontis propinat, quibus epotis statim furere incipiunt &c.

*Satanus*  
*est pocilla-*  
*tor.*

Sic

Sic legitur de populis Sarmaticis ac Septentrionalibus :  
Inter eos , cum convivia agitant , malos genios etiam propalam  
obambulantes conspici , majore quàm humani corporis imagine ,  
quos illi nihil exhorrentes pro socijs ac convivis salutare solent ,  
& cæptum convivium permultos ex ordine dies noctesq; uno te-  
nore continuare.

*Diabolus  
cades ad-  
juvat &  
promovet.*

Multi cum sobrij adhuc sunt, pravis cupiditatibus & Sa-  
tanæ impulsui resistere possunt : sed ebrij non item. Gaudio igitur  
Satanæ est, quando homines sese invicem inebriant : tunc ebrios  
sui impotes pro arbitrio suo, quò vult ducit, ac impellit. Huic de  
fenestrâ aut per gradus prolapso cervicem frangit, alium truci-  
dandum sodali obijcit ; alterum ad cædem faciendam impellit ;  
Et non tantum impellit, sed etiam gladios, enses, cultros & alia  
arma ad facinus perpetrandum subministrat. Meminimus omnes  
ante paucos annos hîc quendam in ebrietate interfecisse alium, in-  
timum aliàs suum amicum : ille post factum sepè sanctè affirmavit,  
se nullo fuisse instructum cultello, & adhuc nescire, quinam sibi  
cultrum subministrasset, quo amicum suum carissimum interfecif-  
set. Facile conijciendum est, quinam fecerit ? Diabolus & Sata-  
nas semper instructus est ejusmodi armis. Imò interdum in ipso  
ictu brachia interficientium adjuvat & propellit. Sic ego novi  
studiosum quendam, qui non longè abhinc habitat, qui aliū quen-  
dam studiosum ortâ ob rem levissimam, & ne nuce cassâ quidem  
dignam rixâ inter pocula, sed admodum Ebrius, interfecit : ille  
cultrum istum, quo factum perpetrabat, eo ipso die ah ad lamen-  
tabilem & lachrymosum exitum, emerat : quem etiam in ictu ul-  
tra dimidiam ulnam per vestes in pectus impegerat, per me-  
dium cor, per diaphragma & pulmones : ictu inquam vix hominî  
possibili : Hic studiosus statim postridie fatebatur, se expressè sen-  
sisse, quod ab aliquo in ictus percussione in brachio adjutus esset :  
cum tamen nemo ipsi aderat, nisi is qui interficiebatur, reliqui stu-  
diosi aufugerant.

Inde multò magis de Ebrietate id pronunciare possumus,  
quod Ambrosius de otio dixit : Esse pulvinar Satanæ. Siquidem  
Ebrietas non modò pulvinar, sed molle ac delicatum cubile & le-  
ctus sit Satanæ, quo nusquam ille libentius cubat ac requiescit.  
Hic etiam Chrysostomus serm. 1. de Lazaro & Epulone inquit :  
Quisquis in temulentia totos dies agit, quisquis in delitijs & in-  
gurgi-

gurgitatione vivit, sub Diaboli tyrannidem redactus est &c.  
Huc accedunt & aliæ causæ, veluti Mandatorum Dei oblivio, *Secundaria*  
quam deinde subsequitur Securitas profana. Si enim istæ beluæ *causa est*  
& larvæ Diabolicæ sibi ob oculos ponerent mandatum & prohi- *mandato-*  
bitionem Dei, quâ tam sanctè tam severè & summo zelo Christia- *rû Dei o-*  
nis hominibus tanquam populo suo Ebrietatem & luxuriam tan- *blivio &*  
quam rem abominabilem interdicit: fieri non posset, quin sibi ab *Securitas*  
istâ summo studio & diligentia caverent: Verùm ubi eos semel *profana.*  
cæpit mandatorum Dei oblivio, sequitur securitas profana, ut si-  
ne timore Dei, sine curâ iræ & judicij divini, sine pœnitentiâ, sine  
fide & dilectione Dei vivant, inde oritur postea hæc pestis & furi-  
bunda cohors multorum malorum &c.

Ultimò ASSVETUDO plurimùm hîc quoq; valet, & *Assuetudo.*  
facilimè ex Ebrietate fortuitâ habitualis comparari solet. Vrun-  
tur verò luxuriosi isti hoc improbitatis suæ pallio, quod se non bi-  
bere ad Ebrietatem, sed ad hilaritatem dicunt: Quinimò hilari- *Excusati-*  
tas est janua Ebrietatis: Nemo sanè venit ad bibendum eo animo, *ones, qui-*  
ut inebrietur, sed ut bibendo exhilaretur, continuò Ebrietas tan- *bus ebriose*  
quam insidiosa & improba pedissequa decipit indulgentem sibi li- *utuntur.*  
berius paululum bibendo. Difficile enim est, signare hilaritatis  
metam, atq; in eâ sistere. Lubricus est gradus ab hilaritate ad E-  
brietatem. Dum vinum habes in scypho, illud est in tuâ potestate,  
dum in corpore, tu es in illius: Haberis jam non habes; Cum bi-  
bis tu tractas vinum, pro tuo libitu; postquam biberis, illud tra-  
ctabit te pro suo &c.

Verum enimverò ut in alijs vitijs quidvis potius homines  
prætendunt, quàm studium malitiæ suæ: Ita hîc quoq; fit. Di-  
cunt enim: Nunquid igitur nunquam est bibendum, & à potu  
semper abstinendum est: si tam declivis & opinione pronior  
gradus est ab hilaritate ad Ebrietatem? Non sanè: Videant talia  
proferentes, ne verè de eis dicatur illud tritum: Dum vitant stul-  
ti vitia, in contraria currunt. Bibendum quidem est non potan-  
dum. Quantum sit bibendum hoc docet natura bruta & feras: An  
non etiam natura eadem ratione insuper adjuta & doctrinâ excul-  
ta hominem hoc docere potest? Edes cum esuries, bibes cum  
sitis: Fames & sitis admonebunt quantum, quando & quatenus  
edendum & bibendum &c. Tormenti genus quoddam judico, sine *Hæc ex Io-*  
siti bibere & sine fame edere. Hinc etiam Sophocles apud Athe- *anne Lu-*  
*næum doctico Vi-*

næum lib. 10. τὸ πρὸς εἰς πίνειν ἰσὸρ καὶ ὁρ πᾶν κε τὸ δὲ ἄρ εἰς  
h. e. Cogi ad bibendum non minus grave est malum, quam si quis  
acrem perpeti cogat sitim &c.

Quid autem tunc facti opus est, si homo semper sitiatur, nec  
sitim mitigare possit, quomodo fiat Ebrius? Ut non immerito Germani  
ab Italo inde hoc modo arrochantur:

*Germani quosvis possunt tolerare labores,*

*O utinam possent tam bene ferre sitim.*

*Sitis & fa-*  
*mes prater*  
*naturalis.*  
Bibe quod inebriare non possit, Vinum anserinum, loram  
& cerevisiam secundariam. Hic reponunt valetudinem & consti-  
tutionem corporis, imbecillitatem stomachi, quæ ejusmodi potus  
ferre nequeat. Quid igitur si tantum esuries, ut exatiari nullo ci-  
bo posses, nisi dirumperis? Hanc non esse famem dicerent, sed  
morbum. Medicina igitur opus est; ad tollendam istam præter-  
naturalem famem, dapibus nihil profici dicunt, affirmant hoc o-  
mnes. Optimè igitur respondent, eodem quoque modo medico  
istis sitientibus ad restinguendam tantam sitim opus est, non cau-  
pone: & potionem pellitur de pharmacopolio petitâ non de Oeno-  
polio. Non est ea sitis, sed morbus, & quidem perniciosissi-  
mus &c.

Tandem dicunt, sodalitate se eo perducunt, ut paulatim impru-  
dentes inebriantur. O quam putida & elumbis excusatio. Quo-  
ties antea inebriati sunt? Quoties viderunt ebrios? Nihil igitur  
sufficiunt tot & tam multa experimenta ad devitandam rem tam  
fædam, ubi semel assuetudo radices egerit &c.

*Ebrietas*  
*vitium*  
*secundissi-*  
*imum.*

Delabimur jam tandem ad postremam hujus orationis &  
uberrimam quidem partem. Audivimus supra Ebrietatem esse vi-  
tium fecundissimum & procreatricem multorum aliorum vitio-  
rum, ea jam enumeranda nobis restant. Hic autem optarim mihi  
vim eloquendi Demosthenis & Periclis ubertatem & facundiam  
Ciceronis, facilitatem & artificium Isocratis.

*Non enim si mihi centum lingue sint orag, centum*

*Compara-*  
*tio sobrie-*  
*tatis &*  
*Ebrietatis.*

Ferrea quoque vox pro rei magnitudine & atrocitate o-  
mnia nudè enarrare nedum verborum ambagibus amplificare &  
& describere possem. Quemadmodum enim teste Augustino, So-  
brietas mentis & sensus & membrorum omnium tutela est, ita E-  
brietas eorum corruptela; quemadmodum illa castitatis pudici-  
tiæque munimentum, ita hæc eorum detrimentum: illa pudori  
proxima,

proxima, hæc à pudore remotissima: illa amicitiae & pacis ser-  
va: hæc inimicitiae & belli domina: illa honestati semper conjun-  
cta, hæc à turpitudine nunquam disjuncta: illa criminum & vitio-  
rum fugatrix, hæc illorum felicissima conciliatrix.

In cunctis alijs rebus natura est conservatrix sui; in solo *Ebrj ho-*  
*Ebrio* diversum videmus. Sunt enim Ebrj quasi aperti & jurati *stes sui*  
hostes, non modò proprij sui corporis, sed etiam animæ; Neq; sibi *corporis*  
ipsis tantùm nocent, verum etiam alijs. Prius autem quid sibi ipsis *& anime.*  
noceant, videbimus &c.

Constat homo præcipuè duabus partibus principalibus:  
Animâ & Corpore: Ita etiam hæ duæ partes principaliter ab e-  
brietate læduntur. Anima plurima ex Ebrietate contrahit vitia,  
quæ eam nisi fiat seria conversio, in sempiternos Gehennæ detru-  
dent cruciatus &c.

Fons autem & origo, ex quâ omnia ista animæ vitia scatent, *Vitia ani-*  
est quod omnes animi virtutes ac *δυνάμεις* hac immani perpotan- *me qua o-*  
di consuetudine læduntur, atq; optimæ præcipuæq; partes homi- *riuntur ex*  
nis mens scilicet & cor in Ebriosis naturali suo motu usuq; desti- *Ebrietate.*  
tuuntur. In his omnis animi sanitas non secus ac in Phreneticis la-  
befactata ac dissoluta est, omnes sensus velut sede suâ moti atque  
everfi. Omne ingenij acumen & celeritas ablata, omnis memoriæ  
vis extincta, nihil hîc rectitudinis & constantiæ in judicio: Omne *1. Gravedo*  
est corruptum, imò ad internecionem usq; suppressum atq; ex- *cordis.*  
tinctum. Nihil utile possunt excogitare, nihil utile inventum me-  
moriâ retinere, de nulla re sanum rectumq; judicium facere no-  
runt. Adeò ut meritò dictum sit à Luciano: *καὶ ποτὸρ τῆς μνήμης*  
*πολέμιον*, Et potus hostis est memoriæ. Et Menander verè di-  
xit: *ὁ πολὺς ἀκρατὸς μικρὰ ἀναγκάζει φρονεῖν*: Multum merum  
pauca cogit sapere &c.

Estq; hæc Gravedo ista cordis, de quâ Christus ipse Luc.  
21. v. 34. inquit. Gravatur enim Ebrietas non tantum caput homi-  
nis, sed etiam ipsum cor. Hęc est ista **ABLATIO MENTIS**, *2. Ablatio*  
de quâ loquitur Hoseas propheta cap. 4. v. 11. ubi dicit Ebrietatem *mentis, ra-*  
cor hominis auferre, Et Divus Hieronymus inquit: Nihil adeò *tionis &*  
obruit intelligentiam, sicut commessatio & Ebrietas. Hinc etiam *memoria.*  
antiqui procul dubio Temetum dictum esse voluerunt, quod ten-  
tet, h. e. labefactet mentē. Augustinus enim inquit: Ebrietas me-  
moriâ aufert, dissipat mentem, confundit intellectum, incitat libi-  
dinem

dinem, vitamq; exterminat. Hinc & Plato lib. 1. de legib. οὐ μὲν  
νομὸς ὡς ἔοικε ὁ γέροντος δὲ πᾶσι γίγνεται, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθύσειος:  
Itaq; ut videtur non solum senex fuerit bis puer, verum etiam te-  
mulentus &c.

Quid igitur humani reliquum esse potest in temulentis isti,  
hominibus, in quibus cor cum totâ mente ablatum est? Nihil au-  
parum discriminis à beluis restat &c.

3. Oblivio  
sui & In-  
saniam.

Inde postea nascitur OBLIVIO SUI ipsius, & mera  
INSANIA ut Proverb. 20. v. 1. dicitur: Luxuriosa res vinum,  
tumultuosa Ebrietas, quicumq; his delectatur non erit sapiens. Et  
Ecclesiast. cap. 19. v. 2. Vinum & mulieres etiam cordatos aufe-  
runt. Optimè hoc etiam perspexit Isidorus, qui inde de summo  
bono lib. 1. inquit: Vinum modicè sumtum acuit ingenium, & in-  
tellectui videtur asserre acumen. Non modicè autem sumtum ra-  
tionem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, obli-  
vionemq; immittit. Hinc & Macrobius lib. 1. super somnium  
Scipionis: Comes Ebrietatis oblivio est. Et Athenæus inquit:  
οἷν & οὐκ ἐφρονέοντες ἐς ἀφροσύνην ἀναβάλλει: *Insanire facit sanos*  
*quoq; copia vini &c.*

4. Impie-  
tas in De-  
um, & ne-  
glectus o-  
perum Dei.

Ex hac ablatione mentis & cordis, & oblivione sui sequi-  
tur postmodum quævis impietas in Deum, & neglectus operum  
Dei, ut testatur Propheta Esaias cap. 5. v. 12. Cythara & lyra &  
tympanum & tibia & vinum in convivijis vestris, & opus Domi-  
perum Dei. ni non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Ebrietas  
enim tollit timorem Dei, reddit animos securos, accendit appeti-  
tus pugnantem cum lege Dei, adimit notitiam Dei, reddit ineptos  
ad invocationem, ad imaginem Dei, lucentem in animis per ver-

5. Oblivio  
legis divi-  
nae.

bum ac fidem prorsus tanquam cæno involvit: Inde oblivio quoq;  
legis divinæ; Intermittitur omnis oratio: Nulla ibi est gratia-  
rum actio: non decantantur laudes divinæ: Sed potius omni di-  
vini numinis honore ac metu excusso, horrendas inter pocula eru-  
tant blasphemias: alij sanctissimo Dei nomine, sacrisq; unci sal-

6. Blasph-  
mie in  
Deum.

vatoris nostri IESV CHRISTI vulneribus & afflictioni-  
bus ad maledictiones & execrationes nefandâ impietate fœdissi-  
mè abutuntur: Alij prophanâ levitate, scurrilibus disputationi-  
bus vel sermonibus impiè cum Deo jocantur, ut inde verè dixerit

7. Negle-  
ctus officij.

Salomon: Cor vino sepultum perversa loquetur. Ex hisce omni-  
bus deniq; subsequitur neglectus & desertio laboris injuncti à  
Deo:

Deo: Inutiles enim redduntur ejusmodi heluones & lurcones tam ad Oeconomiam quam ad Ecclesiam & Rempublicam gerendam: Nullus eorum neq; in re privatâ neq; in publicâ usus est, de quo paulò post audiemus.

Ex hac oblivione sui & impietate in Deum enascuntur deinde quævis horrenda peccata in Ebriosis & temulentis istis hominibus: *8. Libido.* Inter quæ facilè primum locum obtinet LIBIDO. Fax enim est ebrietas & irritamentum ad omnem libidinem: testante Paulo ad Ephes. 5. v. 18. Nolite inebriari vino, in quo est *ἀσωτία*, h. e. luxuria. Videmus enim quomodo ebrij cibo potuq; ad summum distenti, ac voluptatum illecebris excitati res Venereas sectantur, & magno suo periculo ad fœdissima stupri adulterij, incestus deniq; crimina proruentes infandis libidinibus humana atq; divina jura polluant: aut ut cætera feliciter cedant, incalescentes tamen impudicissima cantant, & sic effusas in omni intemperantiâ libidines, si non re ipsâ, at saltem ore impudico produunt, & pijs castisq; auribus gravem offensionem concitant, unde hujusmodi impia ac profana symposia rarò sine adulterijs, stupris, alijsq; immanibus & horrendis flagitijs transigi videmus. Hinc eleganter canit Christophorus Hegendorphius:

*Ebrietate nihil pejus contingere posset*

*Terris, nil quod tam maxima damna ferat.*

Hæc facit in Venerem captus ceu mente labaris. Id quod veterus etiam versiculus indicat: Impletus venter vult luxuriari libenter. Et alias dicitur: Venter mero affluens, facile despumat in libidinem. Et Ovid. lib. 2. de remed. Amor. Vina parant animos Veneri. Hinc Augustinus in suâ descriptione Ebrietatis longiore ponit, quod sit naufragium castitatis, Et Bernhardus in lib. de sex alijs Seraphin inquit: Ebrietas est illecebra voluptatis, & pudoris injuria, quam nullus noverit Christianus. Imò Hieronymus inquit: Nunquam ebrium putabo castum. Et ad Eustochium scribit idem: Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis.

Sic in Genesis cap. 19. legimus de Lotho: Hunc incredibilis *Exempla libidinis.* Sodomorum & Gomorrhæorum impietas vincere non potuit, vino *Lotbus.* tamen victus cum proprijs filiabus incestum commisit horrendum. Facile enim reputabant filiaë ejus, sobrius si esset, nullis modis aut rationibus permoveri posse eum ad rem talem, à qua ipsa abhorreret natura. *ovos* autem ut Sophocles apud Athenæum inquit: lib. 4.

D

Dipno-

**Dipnosophistarum** : ἀνωγει τὸν γέροντα, καὶ οὐκ ἐδίλοντα χορεύειν : h.  
e. Vina lemen, ut nolit, cogunt ductare Choras. Quare vinocum  
primò replent, & quasi à mente alienum reddunt. Sic legimus in  
**Ethnicis** historijs quàm funestum exitum sortitæ sint nuptiæ Hip-  
**Centauro-**podamiæ & Pirithoi. Cum enim ad istas nuptias etiam Centauri,  
**rum libido** siquidem Hippodamiæ affines erant, vocati fuerant; ipsi simul ac  
vino incaluerunt, & ipsam Iponiam & reliquas Lapitharum uxo-  
res petulantius attrectare & violare deniq; conati sunt. Id Lapithis  
non ferentibus gravis pugna in ipsâ regiâ committitur, multiq; ex  
Centauris in eâ ceciderunt, Theseo præsertim adjuvante Peritho-  
um, & qui incolumes evaserunt, in exilium suis finibus pulsi sunt,  
testante Hesiodo in scuto Herculis. Et ob hunc miserabilem exitum  
commodè Horatius lib. 1. od. 18. monet: Ne quis modici transfiliat  
munera Liberi. Sic etiam apud Plutarchum in Parallelis de Cya-  
nippo Syracusano quodam legitur, quod ebrius occurrentem in te-  
nebris filiam Cyanem reluctantem violavit. Quomodo & Adruntius  
Hydropota in Bacchanalibus Romæ ebrietate captus filiam Medul-  
linam corripit, quæ detracto amatori annulo patrem esse agnovit.  
Aristides lib. 3. ap. eundem.

O quàm multa supra, quàm multi incæstus, & adulteria etiã-  
num hodie per Ebrietatem in tenebris & occultè perpetrantur: adeò  
ut non immeritò Salomon de hoc fædissimo Ebrietatis effectu dixe-  
rit. Proverb. 23. Ne intuearis vinum, quando flavescit, aut splendet  
in vitro color ejus. Tunc oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum  
loquetur perversa. O quàm multi mariti alienas mulieres, & quàm  
multæ uxores alienos viros nescirent, si modò Ebrietas quid esset  
nescirent: Et si maximè scirent, quid esset ex alijs tamen id scirent,  
& non in se ipsis experti essent. Hinc quoq; Plinius lib. 14. cap. 22.  
Iam verò quæ vasa adulterijs non cæcata? tanquam per se parum do-  
ceat libidines temulentia. Tunc avidi matronam oculi licentur:  
graves produnt marito. Et paulò post inquit: Præmiumq; sum-  
mum Ebrietatis libido portentosa ac jucundum nefas. Hinc  
etiam non licebat fæminis Romæ vinum bibere, ut testatur Pli-  
nius lib. 14. cap. 13. ne in aliquod dedecus prolaberentur. Ah  
quam laudabilis consuetudo, quàm necessaria lex & constitutio, si  
apud nos quoq; adhiberetur.

Postea quàm nocentissimum vitium & illud est, quod ex E-  
brieta-



brietate pullulascit, Rixæ nempe, contumaciæ, & creberrimæ con- 9. Rixæ,  
tentiones, quod testatur Ecclesiastic. cap. 31. v. 38. Vinum multum contentio-  
potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo nes.  
animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas imprudentis  
offensio, minorans virtutem & faciens vulnera. Hunc effectum  
ebrietatis Ovidius quoq; testatur, ita canens.

*Ira subit de forme malum, lucriq; cupido,  
Iurgiaq; & rixæ sollicitusq; dolor.  
Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther,  
Invocat iratos & sibi quisq; Deos:*

Et Athenæus inquit: Vino descendente ascendunt verba im-  
proba & furiosa. Ex ejusmodi rixis & contentionibus postea alia  
enascuntur vitia, nempe Contumeliæ, quas plerunq; solent conse- 10. Contu-  
qui pugnae, prælia, homicidia & cædes. Videmus enim quomodo melia.  
sæpissimè in ejusmodi Ebriosorum & potorum, ferè porcorum di- 11. Homici-  
xeram, comestationibus ex parvis rebus magnæ oriuntur rixæ: Ex- dia cædes.  
citatis rixis sequuntur Contumeliæ: Alter alterum maledictis in-  
cessat: & mutuis sese proscindunt convitijs. Vnde Anacharsis Scy-  
tha rectè dixit: Vitem ferre tres uvas, primam voluptatis; secun-  
dam Ebrietatis, Tertiam contumeliæ: quemadmodum & idem di-  
xit: primum quidem poculum, quod infunditur sanitatis bibi, alte-  
rum voluptatis, tertium injuriæ, ultimum insanæ. Postmodum à  
verbis deveniunt ad verbera, & tanquam rabiosi canes inter seipso  
& cum alijs cruento ferro concurrentes sese mutuò dilacerant, cæ-  
dibusq; & sanguine horrendum in modum miscent ac perturbant o-  
mnia. Hinc etiam Augustinus ad sacras Virgines dixit: Multi vino  
impellente injusta homicidia commiserunt.

Necessarium non arbitror vestras aures hoc loco multis exem-  
plis detinere. Quotidie hæc ita videmus fieri: Ah quot cædes mise-  
rabiles & homicidia in hac nostrâ civitate intra paucos annos per e-  
brietatem commissa meminimus. In Ebrietate Ammon filius regis Exempla  
Davidis à fratre Absolone obtruncatus est, ut legitur 2. Reg. 13. Ne- homicidio-  
minem latet, quomodo Rex Herodes contra Iohannem Baptistam rum.  
merâ Ebrietate & puellæ impulsu sævire ausus fuerit, quomodo eū  
virū decollandū Carnifici dederit, cujus conciones sobrius libenter  
& cum

Bacchus  
audax præ  
lijs.

& cum gaudio audiret. Matth. 14. & Marci 6. De cædibus Centaurorum & Lapitharum supra egimus. Absq; dubio huc respexerunt Poëtæ Ethnici, quando Bacchum, qui apud eos Deus & conservator vini creditus fuit, hoc Encomio insigniverunt, quod sit Audax prælijs, siquidem nimia vini ingurgitatione pariat rixas, inde contumelias, & inde prælia. Videmus homines, qui alioqui sobrij proprii sui corporis umbram metuunt, & sunt quasi lepores galeati; tamen cum nimium & ad ambas usq; aures vino sese replerunt, & ingurgitarunt, naturæq; quasi vim fecerunt, putant se esse pullos Martis, Ajaces & Hercules: & si ab alijs propterea reprehenduntur, statim apparent in discrimine. Hinc Horat. lib. 1. Epist. non minus scitè quam verè dixit: Ebrietas in prælia trudit inermem. Et Poëtarum Coryphæus Virgilius dixit: Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat. Et Palingenius lib. 3. ita canit:

*O fœda Ebrietas, animi lethum, ô vitiorum*

*Nutrix ac scelerum, quid non mortalia cogis*

*Pectora? quid per te non gaudent jurgia lites?*

*Prælia dira morves & gaudes sanguine fuso.*

Ego sanè ob hanc unicam & solam causam Ebrietatem maximè fugiendam esse censeo. O miserrimum hominem, qui in illo Ebrietatis statu & impœnitentiâ absq; omni conversione ita interimitur. Quem statum aut beatitudinem anima ipsius nanciscetur? Anne futuram confidimus gaudio cœlesti? Vos de hac re optimè potestis judicare. Meâ quidem opinione feret de illo olim Deus optimus ter maximus hoc judicium: Qualem te invenio, talem te judico. Tu non obtemperasti mandato meo cum dixerim: Cavete vobis ne corda vestra graventur crapula & Ebrietate. Hoc parvi fecisti, atq; ita in peccatis tuis es interemptus. Vade in Gehennam ad æternos Cruciatu. Quomodo verò agitur cum reo & interfectore, madente & obruto vino? Aufugere nequit, quia neq; pes neq; mens neq; manus officium suum facit. Deprehenditur, in carcerem conijcitur, postea sobrietati restitutus stultus factum agnoscit, & tunc ut dicitur, est Cleon Prometheus. Dies status judicij illi indicitur, & plerunq; eadè pœna adjudicari solet, ut rursus gladio vitam finiat. Vbi verò tantum habet spatij, ut possit aufugere, Corporalem pœnam quidem evadit aliquandiu: In exilium tamen ire cogitur, & nullibi terrarum tutus ac securus vivere potest, Conscientiam habet sauciam & afflictam, à quâ semper mordetur & torquetur, O miseram vitam, & præ quâ

mors.

mors potius eligenda sit. Sic auditores Humanissimi videtis, quomodo ex unico hoc effectu Ebrietatis rixis nempe multa alia nascantur, Ex rixis contumeliæ, ex contumelijs prælia & pugnae, ex pugnis vulnera, interdum etiam homicidia seu caedes. Ex homicidijs amissio salutis aeternæ, exilium & mala conscientia.

Oriuntur deinde ex Ebrietate etiam alia vitia: Inimicitia<sup>12. Inimicitia, Acerbitas ani-</sup>, Acerbitas animi, ut Ecclesiast. cap. 31. inquit: Vinum immodicè potatum irritationem & iram & ruinas multas facit. Gignit etiam Ebrietas in ejusmodi potoribus mores & gestus inhonestos. Omnes enim Ebriosorum motus sunt ferales, horum in Convivij Centauro-<sup>13. Mores inhonesti.</sup>rum descriptione supra nonnullos perstrinximus. Et ut breviter dicam: Si quis animo consideret horum vitam dissolutam, mores præfractos stolidos & infedatos, actionem deniq; impias ipsa per se foeditate detestabiles, nihil utiq; hinc inveniet, quod non ab omni pudore & humanitate quam maximè alienum sit, quodq; non immanium ferarum & bestiarum magis quam hominum naturam ac consuetudinem referat: ut interim nihil dicam, de furiosis clamoribus eorum, quibus plateæ totas noctes personant, quibusq; sæpè horrendi tumultus, jurgia, caedes excitantur, & nescio, quæ alia vitia inducuntur.

Nec leve crimen Ebrietatis est φιλαυτία h. e. amor sui, qui inde quoq; oritur, quam φιλαυτίαν plerunq; subsequi solet superbia. <sup>14. φιλαυτία.</sup> Hinc Horat. lib. 1. od. 18. Subsequitur cæcus amor sui Attollens vatum plus nimio gloria verticem, Et Epist. 1. ad Torquatum inquit:

*Fecundi calices quem non fecere disertum;*

*Contractâ quem non in paupertate solutum.* Et Ovid. lib. 1. de arte amandi: Tunc pauper cornua sumit.

Hiscè enumeratis haud levius crimen est secretorum & arcanorum detectio & vitiorum intus latentium revelatio. Quemadmodum enim Ebrij nimiam ciborum & potuum copiam retinere non possunt, sed evomunt: ita una omnia arcana & secreta cordis tam sua quam aliena evomunt, & quicquid in buccam venerit, effundunt, & ut Plinius lib. 14. cap. 22. inquit: pandentes omnia secreta, & loquentes mortifera, redituras per jugulum voces non continent. Hinc & Augustinus ad sacras Virgines: Nullo alio cogente præter vinum cordis sui secreta patefacit. Et Seneca Epist. 84. inquit: Omne vitium detegit Ebrietas & incendit. Et Horat. lib. 1. epist. 5.

D 3.

Quid

*Quid non Ebriditas designat, operta recludit.* Et Virgilius canit de hoc effectu Ebrietatis: Arcanum demens detegit Ebrietas. Et Palingenius lib. 3 ita inquit: Per te occulta patent, animum linguamq; resolvis.

Et hoc vitium adeò commune & vulgare in Ebriosis hominibus est, ut locū inde proverbio fecerit τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τὸ νήφοντι, ἐπὶ τῆς γλώσσης βί τὸ μεθύοντι, h. e. Quod in corde sobrii, id in lingua Ebrii. Sobria mens quod cogitat, ebria lingua profatur. Et verè putavit pia antiquitas tria esse hominum genera, ex quibus ipsa rei veritas elici possit, ex pueris nempe, stultis & ebrijs. Inde versiculi vetusti.

*Si secretarum seriem vis noscere rerum,*

*Ebrius, insipens, pueri dicunt tibi verum.*

Quod Alanus Poëta elegantius reddidit: *Sunt tres qui nullo discrimine vera fatentur,*

*Ebrius & stultus, nesciolusq; puer*

Hinc & Sophocles dixit: κάτοπτρον εἶδος χαλκός ἐς, οἶνον γὰρ νῦν. Es speculum formæ est, vinum mentis. Et notum est diverbium: ἐν οἴνω ἀλήθεια, In vino veritas. Et Alcibiades in Symposio Platonis inquit: οἶνον ἀνεῦ τε παιδῶν, καὶ μετὰ παιδῶν ἢ ἀληθείας, h. e. Vinum & cum pueritiâ & sine pueritiâ veridicum est. Id quod Suetonius de Tiberio Cæsare pronuntiat, quod potus omnia arcana effutierit. Hinc & Persa quidam dixit: Tormentis non opus esse ad exquirendum verum, Vinum enim rectius elicere. Ad quod Horatius alludere videtur, ubi ita inquit: *Tu lene tormentum ingenio admoves.*

*Plerunq; duro, tu sapientium*

*Curas & arcanum jocosò*

*Consilium retegis Lyco.* Et Ephippus apud Athenæum: οἶνον ὁ πολλὸς ἀναγκάζει λαλῆν μεθύοντας οὐ φᾶσι τ' ἀληθῆ λέγειν.

Vis multa vini multa te cogit loqui, proinde vera dicunt ebrios loqui. Optimè hoc novit Bonosus Hispaniensis, qui bibit, quantum hominum nemo: Hic si quando legati Germanorum venissent, ipsos inebriabat, ut ab his per vinum cuncta secreta cognosceret; ut refert Cuspinianus & Aventinus lib. 2. annalium Bojorum ex Vopisco.

Præterea quoq; Ebrietas homines crudeles reddit, sequiturq; ut Seneca Epist. 84. inquit. Vinolentiam violentia. Quid enim ex istâ voluntariâ insaniâ quam heluones isti sibi acquirunt aliud sequi potest, quàm furor ipse: Ex furore autem crudelitas. Vt Seneca quoq; loco citato inquit: *Habitus ebrietatis extensus in plures dies est*

6. Crude-  
tas.

est furor. Ibi nihil mansuetudinis, nihil humanitatis, sed cuncta stri-  
cto jure prosequuntur, non tantum in reos & fontes, verum etiam  
beluis & feris lævius in innocentes grassantur. Cujus rei evidentissi-  
mum exemplum in Alexandro Magno Plutarchus posuit: Qui de eo  
scribit, quod per Ebrietatem præcipuos amicos interfecit: Cli-  
tum quidem ob hanc unicam causam, quod in mensa Philippum  
Alexandro prætulerat. Sic etiam Ebrius interfecit Philotam, Par-  
menionem & Callithenem Philosophum, quem Aristoteles inter  
amicissimos habuerat: Et qui, cum aliquando in convivio, cui A-  
lexander interesset, ingens patera circum ferretur, dixit: Nolo bi-  
bendo committere, ut Aesculapio mihi opus sit, ut refert de eo Plu-  
tarchus in lib. de cohibendâ irâ. De hac rabie & furore Alexander  
ipse sæpissimè questus est, & Bacchum furorem cum sibi obijcere  
credidit oburbis Thebanæ excidium. Talis beluina rabies sese quoq;  
exeruit in Cyrilli filio, qui omnem patris disciplinam contemnens &  
bona omnia abliguriens Ebrius patrem crudelissimè occidit, matrem  
prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit: Duas alias  
sorores ad mortem usq; vulneravit, testante Augustino Tom. 10.  
serm. 33. ad fratres in Eremo.

Nascitur quoq; ex Ebrietate profligatissimum & putidissimū  
mendaciorum vitium. Tacere ebrij non possunt, nec tamen alijs mi-  
nus sapere videri volunt. Afferunt igitur furiosam aliquam fabulam  
jamdudum antè inter pocula & combibones suos excogitatam &  
decantatam, eamq; statim pro folio Sibyllæ aut Delphico oraculo  
cum applausu audiri, & cum assensu accipi adorariq; postulant, pe-  
rieris si dissentias. Hinc & Menander inquit: Molestum est autem,  
cum quis præ vino nimis loquitur: Nihil sciens, simulans verò scire.

Nihil dicam hoc loco de pænis spiritualibus, quæ Ebrietatem  
tanquam effectus causam concomitantia, de amissione regni cælestis,  
quam Paulus 1. Corinth. 6. v. 10. hujusmodi lurconibus & heluoni-  
bus minatur, ubi inquit, Ne erretis, neq; scortatores, neq; ebrii re-  
gni Dei hæreditatem accipient. Quam comminationem ad Galatas  
5. v. 20. idem Apostolus repetit.

Nihil dicam de perditione inferni, quæ impios & contemto-  
res Dei manet, ut minatur ijs propheta Esaias cap. 5. v. 12. Propterea  
dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum, absq; ullo ter-  
mino. Et descendent fortes ejus & populus ejus, & sublimes glorio-  
siq; ejus, ad eum.

O terq;

Exempla  
crudelitatis.

Querela  
Alexandri  
Magni.

Horrendi  
ebrij faci-  
nus.

17. Mend-  
acium.

18. Pæni-  
spirituales  
in  
re regni  
cælestis.

Perditio  
inferni.

O terq; quaterq; miseri homines, & beluis quidem miseriores, qui non solum in hac vitâ omnis generis calamitatibus afficiuntur, verum etiam præterea alterâ vitâ, quæ tamen omnis doloris & calamitatis in hac vitâ sustentatæ gratuita recompensatio esse debebat, carere coguntur.

Conclusio  
hujus par-  
tis de vi-  
tiji anima

Quis jam homo sanæ mentis à tam nefando & horrendo vitio non abstineret? ex quo tot innumerabilia vitia animam cum totâ mente depravantia & in æternum exitium trahentia, oriuntur?

Verum enim verò Ebrij non tantum ijs virtutibus, quibus homines à cæteris animantibus separantur, destituuntur: Sed etiam ijs, quæ cum brutis nobis communia sunt. Hæc autem sunt corporis & sensuum exteriorum.

Ebrietas  
lædit cor-  
pus & in-  
ternè &  
externè

Lædit autem Ebrietas corpus non internè saltem, sed externè quoq;. Internè dum omnes sensus, exteriores quos vocant eorūq; organa, nempe oculorum, aurium, manuum pedum ac cæterorum membrorum sanitas vigorq; in ebrijs ita depravata ac extremè debilitata deprehenduntur, ut eorum jam non diminutas actiones, sed corruptas prorsus, imò sæpè ablatas etiam diceres.

Corruptio  
visus.

Visus nobilissimus ille sensus quantum sit depravatus & corruptus, dici non potest. Ebrij enim non modò ea, quæ aliquo intervallo remota & procul sita sunt, sed etiam ea, quæ vicina & ad manus sunt, admodum tenuiter vident & agnoscunt. Surgit his mensa geminis luminibus, ut Juvenalis ait; ubi Satyrâ 6. inquit:

*Cum bibitur conchâ, cum jam vertigine tectum  
Ambulat, & geminis consurgit mensa lucernis.*

Pro cantharo uno duos vident: Pro uno convivâ duos salutant. Deniq; jam omnia conduplicata eis cernuntur; Bibitori pro poculo candelabrumprehendunt: candelam emuncturi pro emunctorio cultrum apprehendunt, & vice versâ pro cultro emunctorium: Foras ituri janua deerrantes in fornacem incurfant.

Corruptio  
gustus.

Gustum, utpote omni sublatâ concoctione planè nullum habent. Hinc enim videmus, quod in popinis & Cauponis Ebriosis istis interdum ab initio sapidum & bonum vinum apponitur: Quando verò inebriati jam sunt, apponitur vilius & ferè feces ipsæ, adeò ut nesciant, si interrogentur quale vinum fuerit: Ad illos nihil hoc pertinet, modò nomen & colorem vini aut cerevisiæ habeat, Id satis est illis, delicias in gustu reliquas Italus aut Gallus quærat. Nulla igitur delectatio in istis ingurgitationibus esse potest, cum id non gustant,

gustant, quod in corpus ingerunt. Et quamvis initio aliquid gustant integro palato; mox tamen depravato eo, ex tantâ hic morum redundantia gustum omnem amittunt. Nihilominus tamen ingurgitant, urgent ac torquent seipsos regurgitantes, per os & fauces potum infundentes, donec ad plenum istam Cloacam impleant.

Quomodo autem vacillent motu, videmus tam in manibus quam in pedibus. Qualis enim trepidatio manuum? Manus bibituris vix amplius levandis & ad os atq; ad illam poculorum Charibdem admovendis calicibus sufficiunt: adeo ut miseris istis hominibus jam etiam manus ad eam rem, quam ipsi solam & summam voluptatem & præmium vitæ, ut Plinius ait, arbitrantur, ministerium & officium suum denegent: Videat aliquis quam tremulo ac vacillanti motu conbibonibus suis vitra ac pocula porrigant, ut etiam plurimum inter porrigendum vini aut cerevisiæ effundant. Sin autem progredi & erecto vultu incedere velint, præ nimia capitis gravedine atq; nutatione huc illuc prolabuntur, interdum etiam ceu fulmine tacti prorsus concidunt, omnisq; sensus ac motus expertes prostrati jacent, ut te eorum quem piam intuens, truncum potius aut emortuum cadaver, quam vivum hominem putes intueri. Sed si res ita benè cedat, ut aliquantulum possint progredi, videmus tamen quomodo in cæno se volutent non aliter atq; sues; si conantur surgere, caput podice ( sit reverentia dicto ) gravius eos ad casum retrahit. Quoties ejusmodi ne potores parietibus domuum innitentes videmus irrepere? Plana enim terra ipsis fovea est; Hinc tam sæpissimè frangunt crura, brachia, cervicem, nares & alia membra corporis. Adeo ut Virgilius meritò dixerit:

*Corruptio Locomotio. ve. Ex Vito Vuinsho mio. Frangunt crura & alia membra.*

— — — — — *Copia Bacchi*

*Attenuat gressus, debilitatq; pedes.* Sic ipse ante paucos annos hospitem habui, qui surgens è lecto cupiens ad latrinam, & inde rediens à cubiculo aberrans, venit ad januam mediæ contignationis seu coassationis, quæ patebat, & inde videns splendorem lunæ in areâ, putans ob albedinem esse lectum, progreditur, & dum in lectum se scandere credit, decidit, & infra ad alteram januam quæ transversè aperta erat, tres ex costis nothis confregit. Sic etiam Philostratus in balneis Sinuessanis ebrius factus, scalarum lapsu ferè extinctus est.

In summa ita sensus omnes in Ebrijs velut sede sua moti atq; everti

everſi ſunt, ut eos omnibus partibus ac membris ſuis fractos credideris. De quibus dici verè poſteſt illud Terentij: Quod neq; mens neq; pes neq; manus ſuum officium faciat. Deinde reliqua membra corporis quod attinet, videmus, quod hæc foediſſima perpetuandi conſuetudo eorum vigorem officiumq; adeò debilitet, infringat atq; enervet, & inde varia morborum genera excitet, ut ad exitium & ſubitanam mortem magis compendiaria via excogitari nequeat.

tra ſene  
r.

Hinc eſt cita ſenectus. Quem enim quaero videmus unquam Ebrioſum hominem, cui non in mediâ juventâ corpus omnis generis morbis ſit conſectum ac debilitatum, cui non omnes ſenſus labefacti, corruptiq; fuiſſent. Occupat illos ſenium & occaſus vitæ, dum adhuc ſunt juvenes, infirmi ſunt & ægroti, dum adhuc omnibus tam animi quam corporis viribus maximè florere & vigere deberent. Hinc verè dixit Origenes: Ebrietas facit de robuſto infirmum, de prudente fatuum. Et Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 7. inquit: Qui ſunt crebrò ebrij, citò ſeneſcunt. Et Seneca ad Lucilium ſcribit: Epulæ cruditates afferunt, tremoremq; & libidines, pedum, manuum, articulorumq; omnium depravationem.

Silenus  
Bacchi Comes.  
Natalis Comes.

Meritò huc tabulam jucundiſſimam Poëtarum refero, qui Silenum Bacchi Comitem, ſenem, ventricoſum, titubantemq; dixerunt, quia vinum & Ebrietas cum obefos faciat, & ventricoſos, tum caput plerunq; gravat, & titubantes facit, & ad ſenectutem, citius perducit. Idcirco etiam dicebatur Silenus ab aſino vehi ſolitus, quia tardi ſunt plerunq; & inutiles negotijs, qui plus potare ſolent, quàm conveniat. Hæc Natalis Comes.

Sic ante paucos annos vixit Comes quidam, quem multi ex hoc cætu noverunt, qui plus nimio huic vitio deditus, duos congios prætantiffimi vini aliquoties uno impetu abſumere poterat. Ille, quamvis per ſe eſſet ſtaturæ robuſtæ & ſatis magnæ, vires tamen corporis ſui brevi tempore immanibus iſtis poculis ita debilitarat, ut trigefimo ætatis anno marceſcere inciperet, & paulò poſt florente adhuc ætate enervatis omnibus corporis & animi viribus morti ſuccumberet.

Corruptio  
caloris naturalis.

Neq; hoc mirum eſt, ſenium in ijs ita accelerare, ſi viderimus quomodo præcipua membra vitæ naturalis & ſanitatſis hoc proſtigatiſſimo vitio lædantur. Calor naturalis, qui coctionis effector eſt, & quo ſalvo reliqua omnia in humano corpore ſalva eſſe ſolent: eo enim, teſte Cicerone omnia membra aluntur & creſcunt, hæc  
nimia

nimia potuum abundantia & ingurgitatione ita extinguitur, aut saltem debilitatur, & corrumpitur, ut vel nullum eius amplius vel admodum exiguum sit officium.

Debilitato calore naturali Stomachus & Epar quoq; & alia membra nutritioni & augmentationi destinata, ita hoc poculorum proluvio debilitantur, ut in coquendo & digerendo cibo, præparandoq; & distribuendo hoc, quo vivimus, sanguine, ministerium & officium suum ritè exequi non possint. Hinc etiam tot cohortes & ceteræ quorumlibet morborum, Generalis languor omnium reliquorum membrorum.

Hinc quia impeditâ in ventriculo coctione sanguis in epate impurus & imperfectè præparatus est, sparguntur in totum corpus multi crudi humores, Inde postea pallor oris & faciei, & color talis, ut eorum quempiam intuens te emortuum cadaver non vivum corpus videre putes. Quod Propertius quoq; indicat ubi inquit: *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.*

Hinc dolor, vertigo & nutatio capitis. Videmus enim quàm tremulum temulentis sit caput, quàm incerto motu nutet. Hinc genæ pendulæ, hinc furiales somni, & inquietas nocturna. Videmus enim quomodo Ebriosi subinde toto lecto se convolvant, modò ad interiorum modò ad exteriorum spondam, & ubi incipiunt vomere, fauces & stomachum rejecturi videntur. Manè præ dolore capitis nec oculorum nec aurium officio fungi possunt, lamina ponderosa plumbi ipsis in frontem & oculos videntur incumbere. Quo etiam Horat. lib. 2. Sa- tyr. 2. spectat inquiens: — — — — *Quin corpus onustum*  
*Hesternis vitis corpus quoq; prægravat ipsum,*  
*Atq; affigit humi divinæ particulam auræ.*

Solent quidam ad comprimendum dolorem istum capitis frontem & tempora fasciâ fortiter alstringere, edocti hoc ab ipso Baccho, qui ita cinctus tanquam diademate rex pingi atq; describi solet. Hinc & Ecclesiast. cap. 31. inquit: Quàm sufficiens homini erudito exiguum vinum est, & indormiendo non laborabis ab illo, non senties dolorem. Vigilia & Cholera & tortura viro infrunito, somnus sanitatis in homine parco.

Meritò adduco huc Soriten istum ridiculum, quo se excusare solent nepoteres isti, quem Philippus in Dialecticis posuit:

*Qui benè bibit, benè dormit,*  
*Qui benè dormit, non peccat,*

*Qui non peccat, erit beatus,*  
Ergò qui benè bibit, erit beatus. Negantur duæ priores cõnexiones. Quamvis enim aliquid dicant, se non posse dormire, nisi sint benè poti: tamen nimius potus non est causa boni somni per se, sed per accidens. Quomodo enim Ebrij ante somnum sæpè tumultuentur, jam antea dictum. Deinde etiam in ipso somno inflammari & in sanguine æstuantibus Spiritus cient multos turbidos affectus. Nam ut Claudianus in præfatione lib. 3. de rapt. Proserp. inquit:

*Omnia quæ sensu voluntur, vota diurno*

*Pectore sopito reddit amica quies.* Quænam autem fuerunt Vota Ebriosorum diurna? Omnis generis libidines, stupra adulteria, Calumniæ, injuriæ, cædes & alia, hæc in somno recurrunt & affectus vitiosos cient: Legitur quidem apud Athenæum lib. 10. cap. 11. quod Alexander Macedo ob temulentiam sæpius duos dies & duas noctes dormire solitus fuerit. Sed talis somnolentia vitij & morbi non naturalis somni speciem habet.

**Oculorum  
ulcera.** Sequitur postea inflammatio totius corporis, Oculorum suffusio & ulcera. Videmus enim quomodo in Ebriosis oculi sint rubentes, & continuis lachrymis stillantes, quomodo eorum anguli tumeant. Hinc Plutarchus in Dione de Dionysio Minore Syracusanorum tyranno scribit, quod semper ex Ebrietate oculorum debilitate laboraverit. Quod etiam Salomo rex sapientissimus optimè notavit, & inde non immeritò quærit proverb. 6. cap. 23. v. 30. Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ cui foveæ, cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & studeant calicibus epotandis?

**Chiragra  
& Podagra.** Hinc fætor & halitus oris multò quàm Cloacæ gravior, dentes putridi, scabriq; spirandi difficultas, tussis, ructus, & vomendi expuendiq; præsertim horis matutinis fœda necessitas, lingua adhæc titubans, etiam sobrijs, vox rauca & obscurus pro sermone stridor, venter, quem quis verius poculorum sentinam dixerit, propendens, morbosus, Crura qualia Elephantis, tumida, labentia, plena fœdis ac graviter olentibus ulceribus, pedes deniq; podagrosi, & ad faciendum officium suum minus idonei. Chiragra enim & Podagra istorum heluonum assiduæ comites & pedissequæ sunt. Et valdè jucundum est, quod Græcus Epigrammatographus ait, Bacchum cum Venere aliquando concubuisse, & ex eo concubitu progenitum esse nobis.

nobilissimum illum fætum Podagram. Hos membrorum cruciatus  
Lucretius lib. 3. v. 375. eleganter ita descripsit.

— — — — Hominem cum vini vis penetravit  
Acris, & in Venas discessit diditus ardor,  
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur  
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,  
Nant oculi, singultus, iurgia gliscunt.

Et paulò post inquit: — — — — Vehemens violentia vini  
Conturbare animam consuevit corpore in ipso.

Hanc autem omnium membrorum corruptelam ac deprava-  
tionem, sequuntur tandem infinita penè morborum genera; veluti:  
Apoplexia, Paralysis, Spasmus, Phrenesis, Epilepsia, Phthisis, *Morbi ex*  
Pleuritis, Hydrops, quibus miseri isti homines, si, ut plerunq; solent, *Ebrietate*  
ita heluari ac perpotare pergant; nec in tempore salutaria medica *juxta Vitù*  
menta adhibeant, in florente ad huc ætate, & ante tempus à naturâ *Vuinshem*  
præfinitum, horribiliter prius excarnificati, horrendo atq; abomi- *um.*  
nabili mortis genere tandem extinguuntur; Qui tamen si sobrieta-  
tis & temperantiæ studiosi fuissent, multos adhuc annos vivere, &  
sibi suisq; ac Reipublicæ præesse potuissent. Nulla enim magis cõ-  
pendiaria via, ut antequoq; diximus, ad præmaturam mortem E-  
brietate continuâ excogitari potest. Hinc verum est: Ense cadunt  
multi, perimit sed crapula plures. Et dictum in nostrâ linguâ valde  
mihi arridet: Plures in calicibus submergi quàm in Ponto.

Quis hominum jam adeò extremæ invidiæ ac malevolentia  
fuerit, ut infensissimo suo hosti tot tantosq; cruciatus & tam sæva  
supplicia optare pøffet? Nedum ut quis ipse sibi ultrò volens vi-  
densq; lubentissimè hostilem in modum in seipsum sæviens, hujus-  
modi intolerabiles morbos cruciatus atq; exitium ipsum accersere  
possit.

Præter hæc verò, quæ corpus externè patitur, ex nimia E- *Vitia cor-*  
brietatis libidine & Cupidine, longè graviora sunt. Sequitur inde *poris ex-*  
Captivitas, servitus, & ignominia. Quando enim ab hoste aliquo *terna ex*  
nobis inferiore vincimur, hoc maximæ ignominia nobis ducimus; *brietate.*  
Interim non sentimus, quod hæc victoria, quam vinum à nobis re-  
portat, longè ingnomiosior nobis accidat, & majori vituperatio- *Captivitas*  
ni vertatur. Hinc etiam Augustinus Epist. 140. inquit: Valde turpe *à vino.*  
est, ut quem non vincit homo, vincat bibido, & obiuatur vino, qui  
non vincitur ferro. Quanta fuit ignominia Alexandro Magno, quod

Vino Ebrietate & Crapulâ vinci se passus est, quem tamen tot millia hostium vincere nequiverunt, quemadmodum hoc exemplum Seneca Epist. 84. adducit.

captivitas  
b alijs ho-  
ibus.

Verum non tantum à vino vincimur, sed etiam ab alijs hostibus vino obruti sæpissimè vincuntur. Græci qui totum decennium in oppugnatione urbis Trojæ confecerant, unicâ nocte eam vino somnoq; sepultam, ut Virgil. lib. 2. Aeneid. v. 265. inquit, invadunt, vincunt, expugnant, & funditus deleram perdunt.

Quoties hostis hostem, què alio modo vincere nequit, vino effæminat? Quoties hoc stratagema Turcicus Tyrannus in nostro exercitu exercuit? Magna clade & damno ante paucos annos hoc testati sunt nostrates. Idem Herodotus lib. 1. de Massagetis scribit, quod cum largius vinum bibissent, à Cyro Persarum rege victi sunt, à quo sobriè vi-ventes tuti fuerant. Sic Athenæus lib. 10. cap. 14. scribit de Celtis, quod cum bella gererent cum Ariæis, cænam sumtuosissimam in tentorijs pararunt, ac herbam quandam imposuerunt venenatam: Castra deserta cum Ariæi invasissent, vino sese ingurgitantes miserè periire. Sic Samson heros fortissimus, vino somnoq; sepultus Delilæ perfidiâ crudelissimis hostibus traditur. Hanc pœnam captivitatis & servitutis minatur etiam Propheta Esaias Ebriosis Judæis cap. 5. v. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, ac nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ex siti aruit. Ejusmodi enim capulam fames, & ejusmodi vinolentiam sitis subsequi solet. Hinc de Parthis veteri proverbio dictum est, Quò plus biberint, eò plus sitire. Habet enim hoc remulencia, ut inquit Erasmus, ut postquam obsurduit palatum, magis ac magis cupiant haurire.

Ignobili-  
tas.

Sequitur inde Ignobilitas & honoris jactura. Multi enim teste Augustino amissis honoribus ignobiles remanserunt, & sedibus paternis profugi vitam finierunt. Hinc etiam ut Metrodorus ad Timocratem fratrem apud Plutarchum scribit, Græci coronam sapientiæ Epicuri sectatoribus concedere volebant, quod quotidie sese vino ingurgitarent, & nimium ebrietati ventriq; dediti essent, & quia palatum sapientius habebant, quàm mentem, quemadmodum Cato dicere solebat de Tarentinis & Siculis, referente Rudolpho Agricola in suâ Dialecticâ fol. 5.

Ex hisce enumeratis effectibus & vitijs perspicere licet, quantum malum sit Ebrietas, & quàm multis incommoditatibus sectatores ejus seipso afficiant. Nec tamen adhuc quiescit rabies & furor hujus vitij, sed

sed latius sese extendit, & diffundit. Ebriofum enim dum sibi bene esse nolunt, neque alijs bene esse concedere possunt: Proximum multis varijsque modis offendendo, & laedendo, quod paucis perstringemus.

Si qui ipsis Ebrijs tortè obveniunt, hos non secus atque canes solent, allatrant, Contumelias & convitijs afficiunt, si quid arcani de ipsis sciunt, effutiunt: Aestuantes præ libidine alienas uxores & sponsas polluant. Civibus & toti civitati sunt scandalo, ut Paulus Rom. 14. v. 21. dicit: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, per quod frater tuus scandalizatur.

Domui suæ non prospiciunt de rebus necessarijs, negligunt educationem liberorum, & totius familiæ sustentationem. Bona & facultates, quas liberis ex jure hæreditatis relinquere debebant, perdunt. Ebrietas enim damnum infert substantiæ, ac facultatibus, ut Salomo in Proverb. cap. 21. v. 17. inquit: Qui diligit Epulas in egestate erit, qui amat vinum & pingua non ditabitur. Et cap. 23. v. 30. Noli esse in convivijs potatorum, nec in comestationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Quia vacantes potibus, & dantes symbola confitentur, & vestietur pannis dormitatio. Et Ecclesiastic. cap. 19. Operarius ebriofus non locupletabitur.

*Ebrietas  
substantiæ  
ac facultatibus  
damnum infert*

Inde etiam pauperes defraudant Eleemosynis, quas parcius viventes illis impertiri possent. Ecclesiam turbant & infamant, & ab eâ demum separantur. Inde enim Paulus Corinthijs in Epist. 1. cap. 5. v. 11. severe conversationem cum Ebriofis interdicit. Tandem se inutiles reddunt Reipublicæ, & nullum officium neque privatum, neque publicum rectè exequi possunt. Valetudo enim corporis ad omnia publica & privata munera obeunda, ad res gerendas eos inutiles & ineptos reddit: In consultationibus serijs nihil consilij possunt afferre. Quid enim consilij boni à talibus expectari potest, qui ne sensus quidem communis compotes amplius sunt? Quibus cerebrum perijt? Cor vino sepultum imò ablatum est. Prodeunt interdum ad consultationes semipoti, halantes etiam pridianam crapulam, semisomnes & oculis natantibus. Quemadmodum apud Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 16. Romanorum iudicium intempestivam ebrietatem C. Titius Lucilius Poëta in oratione, quâ legem Fanniam suavit, his verbis taxat: Dum ad Comitium etint, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenâ vini habeant, Veniunt in Comitium tristes, jubent dicere.

*Ebriofum  
inutiles  
Reipublicæ*

Quorum

Quorum negotium est narrant. Iudex testes poscit: ipse ita mictum. Vbi redit, ait se omnia audivisse. Tabulas poscit, literas inspicit, vix præ vino sustinet palpebras.

Sic Cuspinianus historicus de Imperatore Maximiano Daza scribit, quod vini avidior nonnunquam ebrius quædam corruptâ mente asperius jusserit, ut manè etiam ignoraret, quæ præcepisset. Sic etiam Plutarchus & Cicero annotarunt, quod M. Antonius triumvir ebrius in conspectu populi Romani negotium publicum gerens, vomuerit, ac gremium suum totumq; tribunal incoctæ cæniæ frustis vinumq; redolentibus repleverit.

O calamitosam & miseram illam rempublicam, quæ ab ejusmodi nepotoribus, bestiis & beluis regitur? Quemadmodum enim ipsi, ita quoq; judicia eorum iniqua & stulta sunt. Si quid in rebus serijs decernere volunt, nihil tam absolum, tam absurdum, nihil tam ab omni humanitate alienum excogitari potest, quod illæ bestiae continuo furore agitatae cum extremo totius Reipublicæ & civitatis exitio non audeant: tristissimas Tragædias sæpissimè nulla de causâ excitant, in summâ omnia motibus, bellis incendijsq; furibundi miscent & perturbant.

Atq; ita quo ad ejus fieri potuit, summâ brevitate vitia tam animi quam corporis, tam interna quam externa, enumeravimus, quæ sanè majora & graviora sunt, quam ut ab ullo etiam eloquentissimo sufficienter explicari possint. Cum autem tam nocentissima pestis sit, quæ totas domos, imò totas vrbes vastas reddit; quæ omnia divina atq; humana jura polluit; rectè sapienterq; fecerunt olim Nomothetæ Ethnici, quod odio Ebrietatis, ejusq; detestandæ turpitudinis evitandæ gratiâ quibusvis, aut certè in officio ac munere aliquo publico constitutis, vini usum interdixerint. Sic sapienter fecerunt Aegyptij, cum suis regibus certam vini potandi mensuram statuerint, quâ neq; farciri venter, neq; inebriari possent. Nam regibus ut est in Proverb. Salomonis cap. 31. vinum minimè dandum est, quia nihil secretum, ubi regnat Ebrietas, ne fortè bibant & obliviscantur legis divinæ, & pervertant causas afflictorum. Sic etiam Romulus conditor urbis Romæ, vocatus ad cœnam non multum bibisse fertur, quia postridie negotium habebat. Sic Plato lib. 7. de legibus scribit Minoa suis legibus prohibuisse Cretensibus, ne simul compotarent ad Ebrietatem. Et legislator quidam Locrensum observatis vitijs & improbitatibus, quæ ex Ebrietate nascuntur,

*Interdictio  
vini & E-  
brietatis.*

cuntur, adeò averſatus eſt vinum, ut etiam morbo affectis dari inhi-  
 buerit. legeq; caverit, ut qui vinum biberet, capite plecteretur. Hinc  
 Locrenſium Republica multo tempore feliciffima fuit, & ſummos  
 habuit Philoſophos. **I N D I** verò & adeò abſtemij fuerunt, ut  
 niſi ſacrorum cauſa nulli vinum bibere fas cenſuerint. Quibus et-  
 iam erat conſtitutum, ut ſi temulentum regem mulier occidiſſet,  
 hoc donaretur munere, ut ſucceſſori regni nuberet. Hisq; non ab-  
 ſimile eſt Cretenſium, Lacedæmoniorum & Carthaginenſium inſti-  
 tutum, quippe, qui militibus, ne eſſeros militiâ animos inſolentiæ  
 allueſcerent, in omni militiâ vini potum interdixere, ex inſtituto  
 Platonis: Qui etiam Magiſtratibus donec in honore eſſent, publicoq;  
 officio, vini uſum inhibuit. lib. 3. enim inquit: Qui rempublicam  
 gubernant, Ebrietatem fugiant, nihil quippe minus convenit, quàm  
 cuſtode Ebrio neſcire ubi terrarum degat. Ridiculum eſt cuſtodem  
 cuſtode indigere. Et lib. 2. de legibus jubet ne pueri uſq; ad annum  
 duodeveſimum vinum bibant, ne ſi vini calor acceſſerit, ad fervo-  
 rem ætatis, ignem igni ſuggerere videantur. Apud Athenienſes de-  
 niq; longè adhuc durius Ebrij mulctabantur, quippe ubi princeps  
 Reipublicæ Ebrius viſus morte plectebatur.

Hos igitur nos tanquam Chriſtiani ſequi, & nobis ſummo  
 ſtudio, curâ & diligentia ab hac nocentiſſimâ peſte & præſentiſſimo *Cauſa qua*  
 veneno cavere debemus. Id quod faciliè faciemus, ſi intueamur *nos ab ebri-*  
 mandatum Dei, qui tam ſeverè hoc præcepit, & in ſacris literis juſ- *etate de-*  
 ſit, ut Ebrietatem fugiamus, tanquam rem in quâ omnis ægrotia eſt. *hortari de-*  
 Si deinde comminationes Dei ac pœnas Ebrietatis tam corporales, *hent.*  
 quàm Spirituales cogitemus: Si deinde turpes Ebriolorum motus  
 ac mores nobis ob oculos ponamus: Si incommoda tam animi quam  
 corporis, quæ hinc eveniunt, diligenter conſideremus: Ita enim  
 Pythagoras interrogatus à vinoſo quodam, quomodo quis ebrieta-  
 tem relinqueret dixit: Si ſæpè quæ per temulentiam designat, con-  
 ſideret. Si nos homines & non bruta eſſe cogitemus, quæ tamen  
 non plus bibunt, quam ratio poſtulat, & inde id nobis ratione adju-  
 tis & præditis multò magis faciendum reputemus. Si deniq; tur-  
 pe eſſe duxerimus, ut Seneca ait, ſtomachi ſui naturam non noſ-  
 ſe.

Hæc inquam ſi ſeridè mente & corde perpendemus, fieri non  
 poteſt, quin Ebrietatem cane peius & angue fugiamus.

**F**

*Deus*

Deus optimus maximus, qui in suo verbo per  
Prophetas & unigenitum suum filium Dominum  
nostrum Iesum Christum serio nobis hoc vitium fu-  
giendum & vitandum esse praecepit, det nobis suum  
sanctum Spiritum, & corda nostra illuminet, ut  
ab hac sentina & lerna omnium malorum abstine-  
amus, ne penas tam Corporales quam spirituales  
mereamur, sed potius sobrietatem & temperanti-  
am sectemur & amplectamur, ut mente ac corpore  
sani & integri nobis & alijs salutaria sapere, docere  
& discere, atq; Deo grata semper meditari &  
facere queamus, propter sui nominis  
gloriam. DIXI.

IOHANNES

IOHANNI FORT-  
MANNO,

Quis novus hic veteri voluit succedere Pentheus,  
Irridens Bromij mystica sacra Dei?  
Quis tantum facinus tantis conatibus audet,  
Tractet ut indignis Orgia festa modis?  
Tunc es, qui tam mentis inops, FORTMANNE vi-  
Tunc Corymbiferi numen inane putas? (deris?  
Nec probris lacerare times, dirasq; precari?  
Nec movet antiquæ religionis honor?  
Exemplis moveare tamen: vestigia prisca  
Te doceant: moneant nota pericla patrum.  
Aspice Cadmigenam discerptis Penthea membris,  
Istius archetypum quem pietatis habes.  
Aspice sacrilegam Rhodopeia regna tenentis  
Falcem, pro Baccho qua sua crura secat.  
Plena quoq; Alcithoë fastu demente superbit,  
Sed non ultrices effugit ipsa manus.  
Ante homo, nunc reliquis invisa volucris ales  
Deductum à crepero vespere nomine nomen habet.  
Quin igitur Patrem, FORTMANNE invise,  
Delicti veniam supplicè voce rogas? (Lycum  
Icitò, Thyrsiger & socium te junge cohorti,  
Ac heder à impexum cinge virente caput;

Placatoq; Deo spumantia pocula funde,  
Ne veniat similis pœna luenda tibi.  
Sed quid ago? quorsum feror? anne, quod ipsemet  
Persuadere animo conor, amice, tuo. (odi,  
Stultus ego: nunc quod suasi, exhortante Miner-  
Disuadere animo cogor, amice, tuo. (vè  
Perge, viâ incedis rectâ: Perge, atq; revela  
Quicquid in hoc Baccho numinis esse queat.  
Criminis, inquis, in hoc plus est, quàm numinis:  
Numen id omninò nomen inane voces. (immò  
Quippe quod ingenio tantùm nocet, atq; vigentis  
Corporis ac loculi viribus hostis obest.  
Perge igitur, nec in hac pugna, fortissime PEN-  
Desice: presenti Pallade tutus eris. (THEU,

Michaël Gothus Stolbera  
gensis.







ULB Halle 3  
005 462 274  


78L 1637


[25]

Kapsel

WM








B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



MEΘΗΣ

est

TIO

*Ga*

EBRIE

ILLO CORPO.

IN QVA LVCVLENTER  
 is hujus vitij, causæ & effectus seu  
 eo dimanantes plurimis addu-  
 ut, qui hanc leger, vitium  
 angue non odille  
 sit.

29. Novem. & 13. die  
 Vernigerodanâ in con-  
 estantissimorum

ORTU MANO,  
 Conrectore.



ERGAE

gij Mulleri,

D. CII.

3

